




LIBRARY OF JOHN HENDLEY BARNHART
JHB


PRO SCIENTIA
SALUTE
POPULIQUE
LIBRARY OF
THE NEW YORK BOTANICAL GARDEN
Septemb 1899
R.W. Gibson Inv





ACTA UNIVERSITATIS LUNDENSIS.

LUNDS UNIVERSITETS ÅRS-SKRIFT.

TOM. XXVI. — 27

1892

1889—90.

LUND, 1889—90.

BERLINGSKA BOKTRYCKERI- OCH STILGJUTERI-AKTIEBOLAGET.

DISTRIBUERAS GENOM C. W. K. GLEERUPS FÖRLAGSBOKHANDEL I LUND.



ACTA REGIÆ SOCIETATIS PHYSIOGRAPHICÆ LUNDENSIS.

KONGL. FYSIOGRAFISKA SÄLLSKAPETS I LUND

HANDLINGAR,

MED 5 TAFLOR.

1889—90.

NY FÖLJD.

BAND 1.

LUND, 1889—90.

BERLINGSKA BOKTRYCKERI- OCH STILGJUTERI-AKTIEBOLAGET.

DISTRIBUERAS GENOM C. W. K. GLEERUPS FÖRLAGSBOKHANDEL I LUND.



Innehåll:



Till Algernes Systematik.

Nya bidrag

af

J. G. AGARDH.

(Sjette afdelningen.) *

IX. Sporochnoideæ.

Perithalia *J. Ag. mscr.*

(Genus novum Sporochnoidearum, typo Fuco inermi Turn.)

Frons teretiuscula, pinnatim decomposita, immerse subcostata, demum valide caulescens, ramulis filiformibus sub certo stadio in capitula minuta desinentibus, sub alio in media parte circumcirca fructiferis. *Receptacula* in ramulis ultimi ordinis evoluta, spicam Typhæformem æmulantia, oblongo-cylindracea, parte sterili (conspicue angustiore) pedicellata, et superiore

* Första afdelningen, innehallande *I. Caulerpa, II. Zonaria* och *III. Sargassum*, förekommer i Lunds Universitets Arsskrift. Tom. IX. 1872.

Andra afdelningen, innehallande *IV. Chordarieæ* och *V. Dictyoteæ*, är intagen i Lunds Universitets Arsskrift. Tom. XVII.

Tredje afdelningen, innehallande *VI. Ulvaceæ*, är intagen i Lunds Universitets Arsskrift. Tom. XIX.

Fjerde afdelningen, innehållande *VII. Florideæ*, är intagen i Lunds Universitets Årsskrift. Tom. XXII.

Femte afdelningen, innehallande *VIII. Siphoneæ*, är intagen i Lunds Universitets Årsskrift. Tom. XXIII.

consimili aristata, sporangiis paranematibusque circumcirca a corticali strato frondis radiantibus densissimis constituta. *Paranemata* supra pedicellum basalem (articulum infimum), subfasciculatim ramosum, sporangiis singulis circumposita, simpliciuscula articulata clavæformia. *Sporangia* paranematibus sesqui-longioribus fulcrata, oblonga, perisporio hyalino, apice rupto, demum aperta.

In opere, quod jam 1804—6 publici juris fecit Labillardiere, speciem descripsit, quam posteriores Algologi ad Genus Carpomitræ referre consueverunt. Eadem ut videtur species, a Brownio nomine Fuci inermis designata, in Tomo III Operis Turneri, quod 1811 adparuit, depicta fuit. De hac statuit Turner: "Ramulorum apicibus aliquando insident tubercula minutissima, frondi concolora, oblonga, cava, quæ pileorum instar ramos coronant, et leviter tacta decidunt". His, ut videtur, ductus Kützing creato Generi Carpomitræ Fucum inermem quoque adnumeravit. Ipse, Species Algarum scribens, quum in Specimine, ad oras Tasmaniæ lecto, fructus vidissem siliquæformes, supra medium ramuli intumescentes et apice sterili superatos, specimen hoc diversæ speciei credidi, quam nomine C. siliquosæ quoque descripsi. Posterioribus omnibus, si quid video, alii fructus Fuci inermis ignoti videntur. Harvey quin immo receptacula, a Turnero dicta, ad apices ramulorum depingens *(Phyc. austr. tab. 238)*, expressis verbis statuit, sibi non contigisse in his sporas quasdam invenire. De natura organorum ita decepti, systematici omnes de vera affinitate plantæ quoque male judicarunt. Qualem Fucum inermem hodie mihi cognitum habeo, certum mihi videtur hanc speciem potius cum *Bellotia* et *Encyothalia* quam cum *Carpomitra* evolutione fructuum congruere, ut hoc sequentibus consideratis ulterius eluceat.

Revera tubercula terminalia, de quibus jam mentionem fecit Turner, quæque a Harvey l. c. quoque ad apices ramulorum intumescentia depinguntur, cum capitulis pilorum, in Sporochnoideis permultis sub certo stadio provenientibus, sub alio deciduis, analoga suspicor. Hinc quoque tubercula in Fuco inermi nunc adsunt, nunc desiderantur. Utrum vero sub certo stadio evolutionis fasciculo pilorum coronentur, an semper in F. inermi tubercula calva permaneant, ut hucusque eadem tantum observaverint, equidem nescio. Sæpe durissima mihi obvenerunt, corpusculis fuscescentibus subradiatim dispositis constituta; adposito acido, nunc in fila moniliformia quasi dissoluta hæc corpuscula dura videre credidi.

Quod attinet siliquas, olim a me in C. siliquosa descriptas, in his veros fructus novi Sporochnoidearum Generis agnoscere hodie haud dubitavi, quos in duabus speciebus diversis congruentes observavi. In ramulis nimirum harum specierum superioribus, pinnatim a rachide egredientibus, observavi partem mediam incrassatam, spicam Typhæ referentem facile dicerem, nunc millimetrum, nunc plures (3—4) lineas longam, parte sterili ramuli plus minus elongata superatam, et huic fere duplo crassiorem, ambitu cylindraceam, superficie nunc paulisper inæquali (ob fasciculos paranematum plus minus densos et elongatos, quibus constituitur). Sectione facta transversali per partem ramuli fertilem, observavi axem circumcirca cinctum strato densissimo, quasi molliore, ipsius fructificationis. In hoc strato bene evoluto dignoscere licet tum paranemata longiora, tum sporangia breviora, certo quodam ordine disposita. Paranemata sub-clavæformia, invicem fere æque longa et clauso agmine, ut in Laminarieis quoque adsunt, in stratum densissimum (sorum) conjuncta, 5—6 articulis sæpe constituta, quorum inferiores partem paranematis admodum angustati efficiunt, infimo articulo quasi pedicellum ramis filorum fasciculatim circumpositis constituente, sequentibus (2—3) diametro suo circiter duplo longioribus, supremi dilatati, diametro circiter æquales, ad genicula sub-contracti (in *Perith. capillari*), magis elongati in *Perith. inermi*. Una cum paranematibus ab ima basi procedunt ramuli breviores, singuli aut pauci in spatiis, quæ inter stipites angustos paranematum adsunt; hi ramuli, adhuc juveniles, sunt fere cylindracei; demum fiunt ellipsoidei, longitudine vix plus quam dimidiam partem paranematum æquantes, intra membranam pellucidam foventes granula minutissima rotundata plurima, quæ denique in sporidia transmutari suspicor.

Qua quidem fructificationis positione et structura observata, patet Carpomitram inermem auctorum nullomodo esse cum specie typica Carpomitræ congenerem, sed multo magis cum Bellotia et Encyothalia congruentem. Ut in his, sunt certæ partes ramulorum aut ramorum sterilium, quæ in fructus siliquæformes intumescunt. In omnibus his Generibus fasciculi terminales pilorum sterilium a parte fructifera propria sunt remoti, si quidem tubercula terminalia Fuci inermis cum fasciculis pilorum Bellotiæ analoga jure suspicatus sim.

Differentiæ, quæ inter Genera dicta adessent, ita potissimum in habitu et ramificationis norma plantarum positæ viderentur. Attamen addere placet ipsam structuram paranematum et situm sporangiorum, quos in aliis Generibus Sporochnoidearum paulisper varios vidi, forsan alios offerre characteres, quibus invi-

cem dignoscantur Genera. In Perithalia paranemata fasciculatim ramosa et sporangia fere basalia vidi; in Encyothalia et Bellotia paranemata fere simplicia, at in his secus totam longitudinem sporangia lateralia proveniunt; in Carpomitra et Sporochno, paranemata ramosa adsunt et sporangia ad ramos lateralia. Hoc modo non ægre assumerem Perithaliam ad Nereiam quasi propius accedere, et inter hoc Genus atque superiora Genera Sporochnoidearum transitum parare.

Fucum caudatum Labill. et *Fuc. inermem Turn.* unicam speciem constituere plurimi hodie concedunt; nec nostram *Carp. siliquosam* ab his differre, fructu rite interpretato, ex observationibus supra allatis pateat. Præter hanc speciem typicam Generis, quam ad oras Australiæ frequentem dicunt, aliam speciem ex Nova Zelandia vidi, partium mollitie et tenuitate insignem, quam situ et structura fructificationis congruentem puto. Utrum tertia ejusdem Generis species sit *Carpomitra scoparia Sond.*, Novæ Hollandiæ superioris, ut videtur, incola, nusquam si quid scio descripta, mihi hodie ignota; an hæc cum antecedentibus congenerica aut omnino diversa sit nescio. — Quæ mihi cognitæ sunt species, crescendi modo et evolutionis norma quam maxime congruentes, habitu tamen sat diversæ, characteribus ægre circumscribuntur.

1. Perith. inermis *(R. Br. mscr.)* frondibus a caule breviore circumcirca egredientibus elongatis, inferne sparsius ramosis, superne dense decompositis comam terminalem validam formantibus, ramis stupa destitutis, ramulis in rachide pinnata plurimis simpliciusculis subancipite-compressis, setam crassitie æquantibus, fertilibus in spicam elongatam, quartam partem ramuli æquantem incrassatis. *Fucus inermis Br. in Turn. Hist. tab. 166; Carpomitra inermis Kütz., Harv. Phyc. austr. tab. 238; Fucus caudatus Lab., Carp. inermis, C. caudata et C. siliquosa J. Ag. sp. p. 178.*

Hab. ad oras australes Novæ Hollandiæ et Tasmaniæ.

Ab expansione tuberosa radicali, tomento obducta, frondes sæpe numerosæ proveniunt, quæ ipsæ sensim in caulem incrassatum breviorem, sparsim tomento obductum intumescunt, a quo rami erectiusculi, pedales et ultra circumcirca emittuntur. Rami sunt pinnatim decompositi, pinnis inferioribus sparsioribus et simplicioribus brevioribusque, superioribus densioribus et longioribus, sæpe incurvis, magisque divisis, omnibus conjunctis caudam apice comatam referentibus. In his frondibus tomentum radicis nusquam evolutum vidi. Ramuli plurimi simplices; pollicem et ultra longi, setam crassitie superantes, in exsiccata subangulati. Spicas fertiles sæpius 3 lineas longitudine æquantes vidi. Sectione facta transversali axis compressa adparet, immerse costata, radio strati fertilis dimidiam partem diametri brevioris (axis) vix æquante.

2. PERITH. CAPILLARIS *J. Ag. mscr.* frondibus . . . elongatis, per totam longitudinem fere æqualiter pinnatim decompositis, ramis inferioribus sublongioribus ima basi sæpe stuposis, ramulis in rachide pinnata plurimis decompositis, filiformibus, crassitie capillaribus, fertilibus in spicam ovali- aut oblongo-cylindraceam, sua longitudine vix sextam partem ramuli æquantem incrassatis.

Hab. ad oras Novæ Zelandiæ; Barriere Island, Thames: Rev. W. Colenso (in Hb. Kewensi!).

Partem inferiorem hujus non vidi, at in scedula speciminis ultra pedalis adnotavit Colenso frondem in magnam molem excrescere. In fronde exsiccata ambitus totius fere est plumæ ovato-lanceolatæ; at rami revera quoquoversum exeunt, nunc bini, quin immo nunc plures fere fasciculati, subopposititi, aut 2—3 collaterales, majores inferiorum sæpe ad basem tomento stuposo obducti. Rami isti, 3—4 pollicares, fere ad eandem normam decompositi, ramulis mollioribus fere capillaribus, attamen strictis et patentibus, fertilibus spicam unicam, nunc duas superpositas, plurimas longitudine vix millimetrum superantes, raro lineam æquantes. Sectione facta transversali, axis inæqualiter tetragona adparet, radio strati fertilis diametrum ipsius axis circiter æquante.

X. Fucaceæ.

Myriodesma *Decsne.*

In Synopsi specierum, quam suæ Phycologiæ australi adjecit Harvey, 4 Species Myriodesmatis enumerantur, quarum 3 iconibus ab ipso datis ita illustratæ fuerunt, ut facilius invicem cognoscantur. Quarta species, a Boryo primum descripta, at ad Genus Lessoniæ relata, a nemine postea inventa, tantum icone a Boryo data hucusque cognita fuit. Quinta species hoc loco prima vice describitur.

Genus, quale id intelligo, tum ipsa structura frondis, tum evolutionis norma totius plantæ, tum foliis eximie membranaceis, costam distinctam evolventibus, sat distinctum mihi videtur. Folia omnium generantur eximie membranacea, formas fere *Halyseridis* cujusdam referentia; demum fertilia fiunt incrassata, Fucaceis aliis magis similia. Ramificatione species angustiores facile diceres dichotomas, segmentis in rachide principali alternantibus; in rachide vero adultiore infima segmenta opposita generantur, quasi trichotomia rachidis; superioribus in eadem rachide alternantibus et ita folium plus minus decomposito-pinnatifidum constituentibus. In speciebus angustioribus scaphidia adparent seriebus longitu-

dinalibus utroque latere costæ subregulariter disposita; in latioribus fere sine ordine conspicuo, multiplice serie, utrinque extra costam sparsa. Hac diversa dispositione scaphidiorum insistens, sequenti modo species hodie cognitas disponendas censeo.

* *Scaphidiis unicam utrinque seriem longitudinalem extra costam formantibus.*

1. Myriodesma serrulatum *(Lamour.) J. Ag. Sp. p. 191; Harv. Phycol. aust. tab. CCXIX.*

Ad oras Australiæ occidentalis.

2. M. leptophyllum *(J. Ag. mscr.)* foliis a caule tereti egredientibus pinnatifidis, adparenter inferne trichotomis, superne alterne dichotomis, laciniis angustissimis integerrimis, scaphidiis utrinque secus costam seriatis, in suprema laciniarum parte alternantibus, adparenter unicam seriem longitudinalem formantibus.

Ex Israeliten-bay Novæ Hollandiæ pauca specimina habui.

Caulem pedalem vidi, et multo longiorem putarem, crassitie pennam scriptoriam fere æquantem, ramis haud paucis, at distantibus, sæpe suboppositis decompositum, crassitie a tenuibus rachidibus foliorum admodum abludentem. Folia 3—4 pollicaria longitudine, pinnatifida laciniis admodum angustis, lineam latitudine vix æquantibus; laciniarum paribus 2—4 in rachide suboppositis, superioribus circiter totidem alternantibus; ultimis adparenter dichotomis, omnibus angustissime linearibus aut a basi paulo latiore longe attenuatis acuminatis integerrimis. Scaphidia revera duplici serie secus costam disposita (nempe utrinque singulas series formantia) at ob angustiam foliorum in parte inferiore distanter alternantia, fiunt in superiore parte ita adproximata ut unicam seriem formantia diceres, ipsa costa in hac parte fere deficiente. Scaphidia in folio perangusto magna diceres. Folia luteo-fuscescentia vidi, a caule valido nigricante quasi heterogenea.

** *Scaphidiis per plures series longitudinales (in lobis superioribus fere ecostatis) dispositis, aut fere sparsis.*

3. M. integrifolium *Harv. Flor. Tasm. tab. 186.*

Ad Tasmaniam et Novam Hollandiam australem.

Hujus sunt duæ formæ: *una* magis elongata, laciniis in rachide costata magis distantibus, subecostatis, inferioribus plus minus compositis, superioribus sensim simplicioribus, ultimi ordinis simplicibus linearibus subintegerrimis, uno vel altero dente alternante instructis; *altera* forma est magis contracta, laciniis in rachide costata magis conspicue in folium pinnatifidum conjunctis, laciniis ultimi ordinis subserratis. Hanc initio speciem sui juris supposui, quam nomine *M. pinnatifidæ* olim designavi.

4. M. LATIFOLIUM *Harv. Phyc. austr. tab. XXIV.*

Ad oras occidentales Novæ Hollandiæ.

Ut in pluribus Speciebus Generis frondes hujus pinnatifidas vidi, laciniis infimis in rachide conformi oppositis, superioribus alternatibus aut secundatis, ultimi ordinis oblongo-linearibus.

Lacinias ultimas nunc vidi evidentius costatas, nunc subecostatas; nunc margine distanter serratas, nunc serraturis densioribus et admodum conspicuis instructas.

5. M. QUERCIFOLIUM *(Bory. Voy. Coqu. p. 79) J. Ag. Sp. p. 192; Myr. Boryanum Kütz. Sp. p. 588.*

Ad oras australes Novæ Hollandiæ (Port Phillip, J. Br. Wilson) ad Novam Zelandiam (fide Bory l. c.).

Quum Lessoniam Quercifoliam, a Bory l. c. depictam, ad Genus Myriodesmatis referre ausus sum, dubia de planta, mihi tantum icone cognita, probe attuli. Ab Auctore ad Genus relata, quod forma et crescendi modo longe alienum videretur; ab aliis omnibus Fucoideis, eo tempore cognitis, forma frondis insolita ita diversa mihi adparuit, ut fere dubitarem anne plantam Florideam in ea agnoscerem. Quamquam e regionibus oriunda, quæ multorum studiis postea pervestigata fuerunt, tamen plantam hucusque a nemine observatam fuisse scio. Harvey, qui amplissimas vidit collectiones Australiæ, eam memoravit ut suppositam incolam Novæ Zelandiæ, quam reexaminandam et verificandam monuit *(Phyc. Austr. sub. Myr. latifolia tab. XXIV).* In *Dict. Class. IX. p. 322* Bory dixit se credere eam ex Nova Hollandia provenire; in *Voy. Coquill.* tum Novam Hollandiam, tum Novam Zelandiam ejusdem patriam dixit. In Enumerat. Algar. Australiæ Sonder eam ex Geographe bay provenientem memoravit, nescio qua auctoritate ductus. Denique habui tum fragmenta paucissima plantæ fructiferæ, quæ in littus rejecta fuissent, tum specimen sterile ad Port Phillip Australiæ lectum, quod plantam distinctissimam ad Myriodesma jure relatam fuisse sat evidenter demonstrat. In caule teretiusculo ejusdem, inferne fere pennam scriptoriam crasso, sursum sensim attenuato, folia querciformia, mox petiolo suffulta, proveniunt. Folia virescentia membranacea, fere Halyserin mentientia diceres; maxime juvenilia vidi pollicem circiter longa, supra petiolum brevissimum ovato-truncata circiter pollicaria, superne $^2/_3$ pollicis lata; paulo adultius folium fit apice subtrilobum; dein lobi indicati laterales et fere oppositi excrescunt, apice eodem modo trilobo; lobis sensim pari modo ex apice excrescentibus. In folio circiter quinque-pollicari, lobi infimi jam suo ordine subdivisi obveniânt, novum folium ita indicantes. Cryptostomata in his, per paginam sparsa, numerosa jam vidi, plantam Fucaceam testantia.

Stipites foliorum adultiorum facile diceres usque bipollicares; si vero accuratius inspiciantur, compositos crederes tum petiolo proprio vix semipollicari, tum parte inferiore paulisper crassiore, quam caulis aut rami partem constituere, forsan agnoscere opportet; partem enim superiorem quasi strictura ab inferiore separatam video; et hanc stricturam observavi non tantum in folio paulo adultiore, quod diceres in caule laterale, sed etiam in planta juvenili, quæ supra caulem semipollicarem unicum gerit folium, quod adparet rite terminale.

Costa, mox sat conspicua folium medium percurrit, infra apicem conspicue emarginatum desinens. Costulas ad lobos laterales excurrentes non vidi.

In planta juvenili margines omnes integerrimos vidi; dum ex icone Boryana crenulatos facile putares. Hinc quoque plantam juvenilem speciem diversam sistere initio credidi. Comparatis vero fragmentis senilibus potius crederem margines in his exsiccatione fieri inæquales: et hoc modo crenulatum adspectum provenire.

Apices foliorum, velut uniuscujusque lobi, vidi emarginatura, si quoque non admodum conspicua, subdivisionem futuram præsagientes. In aliis Algis plerumque obtinet ut ejusmodi emarginatura frons oriatur dichotoma, ipsa cellula terminali, dichotomia initiali, divisionem futuram frondis cogente. Observanti vero mihi laciniam terminalem *M. integrifoliæ*, quæ saltem in planta adhuc juniore sæpe est serraturis alternantibus instructa, adparuit quoque in hac specie ipsum apicem esse bilobum, supra emarginaturam evidentem quasi duobus cornubus convergentibus vix conspicue dissimilibus terminatum; ipsa vero cornua, adparenter initio coætanea, sensim abire in serraturas alternantes marginis, nec frondis quandam subdivisionem dichotomam generantia. Hinc nec aliter fieri in *M. Quercifolio* facilius assumerem; ea tamen differentia ut lobis emarginaturæ laciniæ novæ immediate inchoantur in M. Quercifolio; in M. integrifolio vero abeunt in serraturas laterales, quarum plurimæ sensim obsolescunt, aliis at paucioribus in laciniam novam excrescentibus.

XI. Florideæ.

CRYPTONEMIACEÆ *J. Ag. Epicr. p. 112.*

Halymenia Kallymenioides *Harv. J. Ag. Epicr. p. 135.*

Jam Epicrisin Syst. Floridearum scribens *(pag. 135)* monui duas, quoad habitum externum nunc simillimas, quoad structuram admodum dissimiles Algas sub nomine *Halymeniæ Cliftoni in Phycol. Austral. tab. CIII* conjunctas fuisse. Unam ex his nomine *Halym. Kallymenioides* inter Halymenias retinui; alteram, structura Chrysymeniæ instructam, nomine *Chrys. Cliftoni l. c. pag. 319* enumeravi. De hac ultima hoc loco scribere, non in animo est.

Qualis *Halymenia Kallymenioides in Trans. Irish Acad. Vol. XXII. n:o 257* a Harveyo primitus intellecta fuit, et sub nomine *Halym. Cliftoni in Phyc. austr. tab. CIII.* quoque depingitur, species mihi videtur Halymeniæ, bene distincta, quamquam cum aliis formis facilius confusa. Paucis his verbis eam designavit Harvey: "This has the habit of Kallymenia, but exactly the structure of Halymenia." Hanc structuram eum quoque in icone Phyc. austral. exponere voluisse (nec structuram Chrysymeniæ) facile patet. De sua (primaria) Halym. Kallymenioide præterea statuit frondem (sessilem) supra cuneatam basem mox in laminam foliaceam, quoad formam vix definitam, nunc fere simplicem, nunc in segmenta oblonga profunde partitam obvenire. Comparatis plantis

junioribus, a Harveyo depictis, frondem crederes ab initio obovato-cuneatam et integriusculam; eandem vero sensim fieri magis superne dilatatam, marginibus paulisper undulatis et demum plus minus incisis.

Comparata icone et descriptione Harveyana frondis laminam putares planam, admodum tenuem et membranaceam, pulchre roseam, extra aream quandam mediam indivisam in lobos latiores at paucos, late oblongos et sæpe obtusos, abeuntem. Ejusmodi specimina pauca ipse quoque vidi; hæc plantam juniorem revera sistere, forsan assumere liceat. Sæpius plantam vidi saturatius coccineam et quasi maculis obscurioribus variegatam; speciminibus exsiccatis chartæ arctissime adhærentibus.

Harvey frondem dixit longitudine 6—8 pollicarem et 4—5 pollices latam, at specimina vidi nunc multo majora, fere sesquipedalia latitudine, pedalia circiter longitudine; lobis plerumque non admodum numerosis, nunc vero bis pollicem et quod superat latis. Hinc credere licet plantam demum fieri permagnam, et expansione frondis alias nonnullas formas Halymenioideas æquantem. In his speciminibus majoribus frondem vidi stipite brevi, cuneatim in frondem expanso, suffultam.

Marginem frondis dixit Harvey aut planum esse aut undulatum, integerrimum aut obsitum glandulis, quæ vix nisi lente observatæ conspiciantur. Glandulas has in nonnullis admodum conspicuas vidi, in aliis fere desunt. In nonnullis proeminentias vidi sparsim a superficie emergentes; quin immo in ipso specimine Harveyano, quasi duplicatura membranæ, laminam plica assurgente auctam observavi. In aliis pluribus speciminibus pustulæ et rugæ ex utraque pagina bullatim prominulæ adsunt, nunc sparsiores et in area inferiore indivisa frondis præcipue obvenientes, nunc majorem partem frondis adultioris occupantes. Specimina sub hoc stadio evolutionis admodum gelatinosa adparent, et madefacta ita tument, ut totam frondem in gelatinam conversam fieri crederes. Membranam, quam in Schizymenia bullosa depinxit Harvey *(Phyc. austr. tab. CCLXXVII)* stadium evolutionis consimile referre, facilius conjicerem. Kützing *(Tab. phyc. vol. XVI tab. 93)* sub nomine *Halymeniæ Cliftoni Harv.* depinxit specimen, ex Swan River a Sondero missum, quod ad *Halym. Kallymenioides* pertinere vix dubitarem, quamquam dicere fas est hoc neque habitum, neque structuram bene reddere. Hic vero de maculis, in superficie frondis obviis, animadvertit "die dunkleren Flecke auf dem Blattkörper entstehen durch locale Verdichungen der Rindenschicht." Me quoque judice prima initia frondis bullatæ

quærere opportet in maculis obscurioribus, sæpe in fronde adultiore conspicuis, quas fructificationi cujusdam generis præcursorias esse, non ægre conjicerem. In *Sebdenia platycarpa Harv.* frondem cystocarpiiferam ejusmodi maculis variegatam vidi. In specimine eximie bulloso Halymeniæ Kallymenioides, quod supra memoravi quasi in gelatinam dissolutum, plantam antheridiis eximie evolutis instructam agnoscere haud dubitarem. Nimirum observavi cellulas strati corticalis (his locis bullatis) esse pluriseriatas, endochromate interiorum in granula minuta numerosa et arcte cohibita transmutato; cellularum exteriorum vero ipsam membranam esse deliquescentem et granula horum in particulas adhuc minores, globosas, fere lacteo colore renidentes, sese solventia. Locis his bullatim inflatis quoque membranæ fragmenta floccosa, ab interioribus cellulis facilius separata, sparsim observavi. Nescio an assumere liceret ipsam membranam frondis interiorem persistere post evacuationem antheridiorum, et hanc aliquando excrescere in lamellulas superficiei, quas supra quasi duplicatura ortas memoravi.

Structuram H. Kallymenioides proxime convenire puto cum ea, quam (in *Epicris. p. 134)* describere conatus sum, Subgeneri Sebdeniæ characteristicam. In strato medullari sparsim obveniunt nodi, quasi heterogenei, colore dilute olivaceo aut sordide lutescente instructi, qui in planta antea exsiccata fere solidescentes adparent, rarius contentu in particulas quasi dilapso instructi. Ejusmodi nodos nunc simpliciusculos, rotundatos aut oblongos, nunc in ramos fere stellatim radiantes abeuntes observavi. In *Sebdenia platycarpa* nucleum cystocarpii ex ejusmodi nodo provenientem videre credidi. Stratum exterius frondis constare vidi cellulis rotundatis, quarum interiores majores, exteriores minores, nunc (locis increscentibus) paulisper verticaliter elongatis. Prout frons sit aut junior, aut adultior (in H. Kallymenioide, ut in multis aliis) fila strati interioris aut tenuiora adparent et endochroma minus conspicuum continentia, aut multo firmiora et demum endochromate granuloso farcta obveniant. Sub hoc stadio facilius quoque conspiciatur fila interiora et præcipue cellulas interiores strati exterioris esse anastomosibus numerosis invicem junctas.

In speciminibus a me examinatis neque sphærosporas, neque cystocarpia evoluta invenire contigit. Harvey uno loco cystocarpia sparsa dixit, alio loco favellas per frondem sparsas. Si ex his concludere liceț eum nucleum simplicem observasse, nec modo Kallymeniæ quasi pluribus confluentibus compositum, facilis fit Halymeniæ Kallymenioidis distinctionis character a Kallymeniis, alias multo respectu simillimis. In Halymenia platycarpa, quam ante alias H. Kally-

menioidi affinem putarem, nucleum simplicem equidem observavi, intra stratum tenue circumnucleare nidulantem.

Qualem speciem hodie intelligo, eam adspectu — colore et forma — sat variam obvenire posse, a supra allatis patere putarem. Eam sæpius habere adspectum quendam bullosum, indicavi, et hoc modo analogiam quandam offerre cum lamina, quam in sua *Schizymenia? bullosa* characteristicam pinxit Harvey. Hinc dubitandum mihi adparuit anne specimina magis bullosa H. Kallymenioidis inter frondes a stipite solutas, magnitudine insignes, quas sub sua Sch. bullosa memoraverit, forsan obvenirent. Ipse saltem hucusque nullam speciem mihi cognitam habeo, quam bullosa fronde æque insignem dicerem ac Halymeniam Kallymenioides.

XXVI/1. Gelinaria *Sond. J. Ag. Epicr. p. 581.*

Inter Algas magis conspicuas Novæ Hollandiæ forsan paucæ sunt, quæ hodie quoad affinitates magis dubiæ obveniant, quam illæ quarum unam Generis Gelinariæ typum constituit Sonder, alteramque nomine dato *Nemastomæ? Gelinarioides* distribuit Harvey. Typicam speciem Gelinariæ ad specimen decoloratum prima vice descripsit Sonder; dein Harvey ejusdem iconem dedit, quæ habitum eximie reddidit, structuram vero ei tribuit, qualem ex specimine antea exsiccato deducendam credidit. Ob congruentiam quandam cum Halymenia, quam jam antea indicaverat Kützing, Harvey Genus Cryptonemiaceis retulit, structuram tamen potius cum Kallymenia congruentem esse monuit, et fructus cum hoc Genere potius convenire supposuit. Mihi postea, Epicrisin Floridearum Syst. scribenti, Sphærosporas invenire contigit; et, adposito acido, observavi frondis paginas ita invicem discedere, ut frondem recentem revera tubulosam fuisse, statuere ausus sim. Genus prope Meristothecam ipse enumeravi, ignotis vero cystocarpiis vanum esse de affinitate judicare, expressis verbis dixi. Plurimis placuit Gelinariam Halymeniæ proximam disponere.

Alteram plantam, quam nomine Nemastomæ? Gelinarioides jam in *Account of the Marine Botany of Western Australia sub n:o 259* juxta Gelinariam enumeraverat Harvey, postea in Synopsi, Phycologiæ Australicæ adjecto, ita tantum memoravit, ut infra *Halymeniam Muelleri Sond.* suspicionem protulit utrumque nomen eandem plantam forsan respicere. In Epicrisi dein, hac suspicione commotus, dixi Nemastomam? Gelinarioidem a Halymenia Muelleri omnino

diversam esse, si quidem hujus iconi, a Kützingio interea datæ, fides quædam adtribuenda esset.

Quod de diversitate Gelinariæ et Nemastomæ? Gelinarioides jam dixerat Harvey, habitum externum esse non parum convenientem, structuram autem esse diversam, fila nimirum interiora in Nemastoma esse multo densiora, ita quoque ipse agnovi, ut in structura utriusque strati diversitatem quandam adesse dixerim.

His fere continentur omnia, quæ tum de diversitate utriusque plantæ, tum de earum affinitatibus publici juris fecerunt Systematici. Novis dein speciminibus mihi allatis, et inter hæc specimine cystocarpiis fertili Nemastomæ Gelinarioides deprehenso, hodie adferre placuit nonnulla, quæ ad plantas has melius cognoscendas conferre speravi.

Quod structuram attinet frondis, primum animadvertere opportet hanc in speciebus dictis multo minus differre, quam antea assumere voluerunt. Utraque planta mihi adparuit sub-tubulosa, spatio nempe interiore tantum filis laxioribus percurso; fila hæc sunt articulata, articulis plus minus elongatis oblongo-cylindraceis, parce ramosa et hic illic anastomosantia, alia interiore latere (sub-tubulosæ frondis) directione tangentis excurrentia, alia et plurima ab una versus alteram paginam transeuntia; in planta fructifera articuli filorum plurimi granulis magis farcti obveniunt, quare sub hoc stadio magis conspicui adparent. Stratum intermedium constat cellulis rotundatis, aut directione tangentis paulisper longioribus, invicem adproximatis, per plures (3—4) series verticaliter superpositis; his quoque in spec. fructiferis granuloso contentu farctis; ab extima harum serie extrorsum exeunt cellulæ multo minores, endochromate colorato dignoscendæ, in fila verticalia conjunctæ. Fila hæc verticalia sunt in Nemastoma? Gelinarioide breviora et paucis articulis constituta, atque gelatina magit cohærente cohibita; in Gelinaria, contra, tum in parte sterili, tum in sphærosporifera, fila sunt admodum elongata et gelatina quasi magis soluta laxius cohibentur.

Quod igitur de Gelinaria monuit Harvey, structuram potissimum cum ea Kallymeniæ convenire, hoc multo magis de Nemastoma Gelinarioide valere putarem. Frondes vero Kallymeniæ sunt minus tubulosæ, utpote filis strati interioribus densioribus percursæ. Stratum corticale Gelinariæ multo magis evolutum, quam in speciebus Kallymeniæ, quas hucusque observavi. Hoc respectu Nem. Gelinarioides inter utrumque Genus magis intermedia videretur.

Cystocarpia N. Gelinarioidis vidi omnino immersa, et ita minuta ut oculo inarmato singula vix conspiciantur: constant nucleo simplici, in crypta intra frondem excavata, carpostomio aperta, nidulante. Sub stadio juniore a parietibus cryptæ circumcirca exeunt fila numerosa, in inferiore sua parte submoniliformiter articulata, in superiore magis cylindracea; fila hæc inferioris cryptæ sunt adscendentia, superioris fere descendentia; in ipso carpostomio sunt breviora; omnia ita incurvata ut ad canalem pervium carpostomii quasi conducere videantur. Cystocarpium juvenile hoc modo structuram cystocarpii Chætangiearum referre forsan quispiam crederet; at articuli filorum sub hoc stadio parum endochromate farcti, vix gemmidia vera adspectu referunt; sub posteriore stadio putavi ipsum nucleum formari filis articulatis a fundo cryptæ immersæ adscendentibus, articulis horum inferioribus longioribus, superioribus rotundatis, sensim gemmidia minuta rotundata evolventibus. Maturum nucleum vidi simplicem (nec qualem in Kallymenia compositum dixi), rotundato-apiculatum, in inferiore crypta nidulantem, paucis filis interioribus cohibitum, lateralibus plurimis evanescentibus, brevioribus in ipso carpostomio persistentibus.

Cystocarpia, nucleum simplicem foventia, hoc modo neque cum Kallymenia, nec cum Meristótheca affinitatem prodere, mihi adparuit; sed evidenter ad typum in Cryptonemiaceis normalem conformata videntur. Adparatu carpostomii eximie evoluto, haud bene cum *Halymenia*, neque cum *Nemastoma* Genus proxime comparandum esse, sed potius cum superioribus Cryptonemiaceis (*Cryptonemia, Polyopes*, cfr. *J. Ag. Florid. Morphol. Tab. VI—VIII.*) convenire, patet. Forsan dicere liceret *Nemastomam? Gelinarioidem* intermediam esse inter *Halymenias* et *Cryptonemiam*, velut antea assumere ausus sum *Polyopem* transitum parare ad *Thamnoclonium*.

Nemastomam? Gelinarioidem hoc modo sistere typum genericum proprium, mihi haud dubium videtur; utrum ad eundem pertineat *Gelinaria*, an in hoc quoque typum Genericum proprium agnoscere opporteret, hoc difficilius quidem dijudicatur, ignotis adhuc cystocarpiis ejusdem. Ex summa vero congruentia, quæ in habitu — frondis forma, ramificationis norma, colore et substantia — non minus quam in structura frondis atque in situ et divisionis modo sphærosporarum obtineat, facilius equidem assumerem utramque plantam ad idem Genus referendam esse, cui hodie nomen Gelinariæ conservandum credidi. Quod in evolutionis gradu strati corticalis differentia quædam inter utramque plantam adsit, equidem memini; at ejusmodi differentiam quoque in aliis Generibus

obvenire *(Nemastoma, Gracilaria, Mychodea, Polysiphonia)* perpendenti, species has, alio respectu simillimas, non in diversa Genera distrahendas esse, mihi adparuit.

Genus igitur Gelinariæ tum habitu et structura, tum fructibus (cystocarpiis in una specie, sphærosporis in utraque cognitis) ita hodie definitum putarem, ut nec de affinitate, nec de limitibus Generis equidem dubitarem. Una species (typica) sub nomine primitus dato — licet haud optimo — retineatur; alteram, de qua jam monuit Harvey "the name given to it must be considered provisional" *(Phyc. austr. sub. tab. LXXXV.)* Gelinariæ Harveyanæ nomine in posterum dignoscendam esse maluerim. Utraque species ad oras Novæ Hollandiæ rarius obvenire videtur; hucusque G. ulvoidea tantum ad oras occidentales; G. Harveyana vero præcipue ad oras australes lecta. G. ulvoidea longitudine velut latitudine frondis G. Harveyanam superat. In utraque specie habitus et ramificationis norma fere eadem videtur; in utraque segmenta alia simpliciora, alia magis decomposita obveniunt. Majora et decomposita segmenta sunt in G. ulvoidea magis ambitu linearia aut oblonga, in G. Harveyana magis lanceolata. Segmenta ultima in icone Harveyana G. ulvoideæ fere deltæformia (a latiore basi acuminata) et oblique patentia pinguntur; in speciminibus a me visis adparent magis ex cylindraceo-compressa (a Sondero dicuntur linearia); in G. Harveyana pinnæ majores demum lanceolatæ, minores magis dentibus deltæformibus similes. In G. ulvoidea segmenta omnia (ejusdem pinnæ decompositæ) fere eandem formam conservare videntur; in G. Harveyana pinnæ majores lanceolatæ et minores dentes (deltæformes) sæpe alternantes obveniunt (nempe in utroque margine inter duas longiores intercedit minor, quæ nunc externe subserrata adparet).

XXVII. Pachymenia *J. Ag. Epicr. p. 143.*

Pachymenia apoda *J. Ag. nov. sp.* fronde sessili aut brevissime stipitata, obovato-rotundata, lobo uno aut altero a margine aut intra marginem excrescente nunc lobata, demum lobis novis inferne in stipitem brevem sensim contractis, adultioribus demum sub-vage laciniatis plus minus decomposita.

Hab. ad Tasmaniam et oras australes Novæ Hollandiæ (Port Phillip, Encounter bay).

Frondes juniores a callo radicali provenientes, ambitu initio obovatæ, mox (sæpe magis latitudine increscentes) supra stipitem brevem obovato-rotundatæ aut fere reniformes; dum tantum 2—4 pollicares, adhuc sæpe indivisæ, aut lobo a marginis parte excrescente

nunc fere bilobæ aut vage lobatæ, singulis lobis inferne sensim angustatis in stipitem subproprium brevissimum. Ut adultiores excrescunt lobi, frondes quoque vage laciniatæ (an externa vi disruptæ) obveniant [1]). Margines præcipue in fronde juniore incrassati et nunc quasi involuti, nunc expansi in appendices, glandulas æmulantes, quarum nonnullæ in lobos novos excrescere viderentur. Plantæ adultioris vidi specimina fere sesquipedalia, lobis et laciniis fere sine conspicuo ordine subdivisa, lobis singulis ad basem plus minus contractis in stipitem, dein aut rotundato-reniformibus aut adparenter vage expansis. Substantia plantæ junioris carnosa videtur, exsiccatione membranacea et firma; plantæ adultioris partes exsiccatæ subcorneæ et pergamenæ. Colorem plantæ mox e mari protractæ purpureum vidi; rejectæ et alternis vicibus solis et undarum expositæ dilutiorem, et demum fere lutescentem.

Hæc species quoad formam frondium juvenilium ita cum planta infra sub nomine *Epiphleæ Harveyi* descripta convenit, ut specimina utriusque tantum sistere diversa evolutionis stadia unius ejusdemque Speciei diu crediderim. Ut demum contigit specimina videre fructifera speciem Pachymeniæ in una agnovi; typum vero Generis diversi in altera dignoscere credidi, cujus descriptionem infra videas.

Stratum interius frondis in hac, ut in aliis Pachymeniis, amplissimum obvenit, filis elongatis articulatis, diversa directione excurrentibus, ramosis et anastomosantibus constitutum; fila hæc in nonnullis tenuiora, quasi molliora et magis mucosa, quæ plantam juniorem indicare suspicatus sum; in aliis fila crassiora et granulis farcta adparent evidentiora et fere rigidiuscula, quod plantam senilem testare conjicio. Fila hæc strati interioris fere omnia extrorsum, paginas versus excurrentia, fere immediate in fila verticalia prælonga strati corticalis abeuntia diceres — quasi in his deficerent cellulæ istæ rotundatæ aut angulatæ magis conspicuæ, quibus in *Kallymenia* stratum interius extrorsum limitatum videtur. In *Epiphlœa* extra has cellulas novum provenit stratum, quod fructiferum dixi, filis verticalibus elongatis constitutum. In Epiphlæa igitur adsunt cellulæ istæ rotundato-angulatæ et anastomosantes, quasi inter fila utriusque strati intermediæ; in Pachymenia, harum cellularum defectu, quoque fragmenta minora dignoscantur.

Fila verticalia strati exterioris prælonga vidi et pluries dichotoma, numerosis articulis constituta, interioribus articulis globosis et latioribus; exterioribus, prout subdividuntur fila, sensim sensimque tenuioribus, extimis articulis fere cylindraceis. Strato mucoso evidentiore continentur fila verticalia, nec eadem subdivergenter radiantia vidi (ut in Nemastoma aliisque). Sphærosporas oblongas, cruciatim divisas, inter fila verticalia sparsiores observavi.

---

[1]) Ad oras Australiæ plures species obveniunt, forma et habitu subsimiles Europæis istis, quæ olim sub nomine *Fuci edulis*, et *Fuci reniformis* diu Algologis cognitæ fuerunt. Ejusmodi species ad oras Australiæ demum sæpe gigantea fronde instructæ sunt. Specimina vero in littus rejecta plerumque constant fragmentis, ex quibus neque de forma frondis judicare liceat, neque de mutationibus structuræ, quas sub diversa ætate frondes diversarum specierum forsan subeant. Ex iis, quæ de sua *Schizymenia? bullosa* dixit Harvey, facilius quis conjiceret eum ejusmodi fragmenta ad istam speciem pertinentia credidisse; et ignota mihi alia specie, ad quam certius referrerentur, ipse plura herbariorum specimina nomine speciei Harveyanæ quandoquidem designavi. Denique vero specimina magis completa videre contigit, quibus ducentibus de his formis dubiis hodie certius judicare forsan liceat. Præter Pachymenias, hoc loco descriptas, videas quæ afferuntur de *Halymenia Kallymenioide*, *Kallymenia Tasmanica*, *Epiphlœa Harveyi*, prætermissis aliis Chrysymeniæ et Gigartinæ speciebus, quæ structura facilius dignoscantur.

Pachymenia stipitata *J. Ag. nov. sp.* frondibus elongatis obovato-cuneatis, demum numerosis a callo radicali sensim elevato subfasciculatim exeuntibus, singulis obovato-cuneatis in stipitem elongatum compressum, ima basi fere teretiusculum, longissime attenuatis.

Hab. ad oras Novæ Hollandiæ australes (Adelaide!).

Si priorem speciem quoad formam externam magis *Fucum reniformem* referre, præsentem cum *Fuco eduli* magis convenire dicerem. Hac igitur forma *P. stipitata* cum Capensi *P. carnosa* fere nimium congruit; in specie Capensi singulas frondes disruptione laciniarum iterata sensim sensimque ortas fuisse crederes; hinc stipitem complanatum sæpius latiorem vidi et frondes sæpe laciniatas, laciniis pluribus et superioribus et inferioribus basi cohærentibus. In P. stipitata a callo radicali sat conspicuo, quem novis pullulantibus frondibus sensim altitudine increscere putarem, frondes numerosas, fere fasciculatim collectas vidi. Singulæ frondes, pedales et ultra, supra stipitem elongatum, ima basi teretiusculum, dein compressum et fere linearem, superne evidentius cuneatum, sensim fiunt cuneato-obovatæ, marginibus plerumque integriusculis. Externa vi, ut suspicor — forsan lacinia superne separata — unam aut alteram frondem quoad formam paulisper mutatam vidi. Substantia exsiccatæ membranaceo-cornea et elastica; (fronde tenuiore quam in P. carnosa). Color atropurpureus, fere nitens; exsiccatæ nunc in lutescentem tendens.

In speciminibus hujus cystocarpia vidi, quasi ad imam basem strati corticalis immersa, nucleo minuto et rotundato simpliciusculo constituta (nec, modo Kallymeniæ, in strato interiore quasi nucleolis pluribus composita), strato circumnucleari proprio, filis dense et fere stellatim anastomosantibus contexto, cincta. Ab interiore parte strati circumnuclearis canalem longiorem ad superficiem frondis conducere vidi; quem initio clausum, at ruptura et quasi ejecto superjacente strato peripherico apertum observare credidi. In speciminibus observatis fructus paucos et magis juveniles vidi; quare plures series superpositas cystocarpiorum, quales in Pachymenia sæpe obvenientes alio loco *(Epicr. p. 111)* statui, in P. stipitata frustra quæsivi.

Pachymenia prostrata *J. Ag. mscr.* fronde subpergamena crassa, ex area quadam media latius expansa et prostrata radicante, extrorsum adscendente sublibera, radiculis ab area radicante descendentibus numerosis subfasciculatim conjunctis, junioribus plures lineas longis cylindraceis acuminatis simplicibus aut subramosis, apice liberis, adultioribus apice scutatim expanso affixis, extimis extra aream radicantem sub forma mamillarum obvenientibus.

Ad Novam Hollandiam australem.

Fragmentum quadripollicare tantum vidi plantæ admodum singularis, quod aspectu et structura Pachymeniam carnosam potissimum referre dicerem, at crescendi modo omnino diversam. Frondem ambitu rotundatam putarem, a centrali quadam parte prostrata et affixa excrescentem et peripherica parte forsan adscendente liberam; an certo modo lobatam conjicere non auderem. Aream radicantem, forsan uno margine rotundato adproximatam, ambitu bipollicarem vidi. Ex inferiore pagina hujus descendunt radiculæ, sparsæ at numerosæ, plures (2—4) ita sæpe approximatæ ut quasi certis locis radiculas fasciculatas diceres,

alias simplices acuminatas (ramum Gigartinæ acicularis forma fere mentientes) alias dichotomas, apicibus adhuc liberas, alias jam affixas in scutellum suum radicale crassum et conspicuum expansas. Extra aream hanc radicantem in inferiore pagina prominent mamillæ sparsæ hemisphæricæ, quibus in superiore pagina nunc respondent puncta depressa. Peripheriam versus frondis hæc deficiunt. Comparata structura frondis hanc cum Pachymeniæ speciebus aliis convenire putavi. Fructus frustra quæsivi.

GIGARTINEÆ *J. Ag. Epicr. p. 173.*

KALLYMENIA TASMANICA *Harv. Fl. Tasm. II. p. 325; Syn. Phyc. austr. sub n:o 556; J. Ag. Epicr. p. 220 et p. 686.*

Ad ea, quæ l. c. de hac planta dixi, me hodie nihil certius addere posse, doleo. Quænam sit forma speciei propria, vix liquet; diagnosim speciei dare, ne quidem periculum fecit ipse auctor speciei. Frondem esse magnitudine insignem, et vario respectu juniores formas Halymeniæ Kallymenioidis referre, forsan assumere liceat. Fructus non vidi; nec ab alio observatos fuisse scio. Inter specimina et fragmenta speciminum, quæ haud pauca vidi, duas formas dignoscere putavi, de quibus mentionem facere placet, ne cum speciebus forma et habitu consimilibus, hoc loco descriptis, confundantur; nimirum:

a) K. TASMANICA *(J. Ag. l. c.)* hujus specimina et fragmenta vidi tenuiora, et chartæ arctissime adhærentia, fronde integriuscula aut parum lobata instructa, marginibus nunc sparsius undulato-plicatis.

b) K. TASMANICA *var. laciniata (J. Ag. mscr.)* hujus specimina et fragmenta vidi crassiora, exsiccatione nunc fere cartilaginea et vix chartæ adhærentia, supra aream quandam mediam indivisam profunde laciniata, laciniis cuneato-oblongis aut magis linearibus, marginibus vage dentatis quasi erosis.

Formas has, quoad adspectum diversissimas, facillime species diversas credere licet. Frondes vero externa vi forsan facilius dilacerari, et vario modo fieri secus margines inæquales et sub hoc statu adspectum præbere laciniatum aut erosum, conjicere liceat. Laciniarum margines in nonnullis adparent incrassati, quin immo minutissime glandulosi, quasi marginem novum proprium restituerent. Hinc ejusmodi formas a specie primaria non prorsus alienas forsan credere licet.

Nisi comparatis utriusque formæ speciminibus completis et fructiferis, de differentia specifica harum judicare vix auderem.

XLI/1. Epiphloea *J. Ag. mscr.*

Inter Species, quæ adspectu et structura frondis potissimum Kallymenias referre viderentur, sunt nonnullæ quæ sphærosporas generant intra stratum superficiale quasi proprium, filis verticalibus plus minus elongatis articulatis constitutum; ipsæ sphærosporæ sunt in his quasi minus conspicuæ, utpote inter fila stipatissima receptæ et his parallelæ, suo diametro duplo-triplo longiores, et cruciatim divisæ. Species, hac structura insignes, a Kallymeniis propriis fere eodem modo differre viderentur, quo ab his differunt Constantineæ, in quibus vero sphærosporæ zonatim divisæ describuntur. Utrum species indicatæ structura cystocarpii cum Kallymenia conveniant, an characteribus quibusdam e fructu capsulari petitis quoque differrent, hodiedum latet.

Species hujus Generis hodie censeo:

1. Epiphl. Harveyi *(J. Ag. mscr.) Schizymenia? bullosa Harv. Phyc. austr. tab. 277* (partim?).

   Ad Fremantle, Novæ Hollandiæ austro-occidentalis!

Specimen authenticum, quod examinavi, vario respectu a descriptione Harveyana recedit. Stipitem vix conicum dicerem, sed cylindraceum, nec tantum ex apice frondem subpeltatam exserentem, sed pluribus locis superpositis laterales laminas sessiles sustinentem. Laminas late obovatas vidi, circiter bipollicares diametro; recentes paulisper subcucullatim involutos fuisse, conjicerem: nec laminas bullatas observavi, quales easdem descripsit Harvey. Structura frondis examinata, hanc potius cum Kallymenia convenire, quam Speciem Schizymeniæ prodere, mihi adparuit. Mediam frondem subtubulosam fere dicerem; spatium nimirum interius, filis longitudinalibus laxius percursum, in medio inter utramque paginam vidi; fila hujus strati interioris sunt elongata, cylindraceis articulis constituta, sparsim ramosa, plurima paginibus subparallela, alia inter paginas oblique excurrentia. Ut paginibus adproximata hæc fila disponantur, in articulos breviores abeunt, magis æmulantes cellulas oblongas, quæ per plures series (2—4) paginibus parallelas dispositæ adparent; extimæ harum magis rotundatæ et endochroma magis conspicuum foventes, stratum constituant, quod cum strato corticali Kallymeniæ analogum facile dicerem. Exstat revera extra has cellulas, quas fere monostromaticas vidi, stratum proprium, filis verticalibus constitutum, quod vero potius fructificationi pertinere conjicerem. Fila hujus fructiferi strati verticaliter a pagina exeuntia observavi, plurima simplicia parallela et æquelonga, clavato-baculiformia, intra membranam pellucidam endochroma articulatim subdivisum, articulis paucis, nunc fere indivisum foventia. Inter hæc fila, quæ nunc densiora sunt, nunc invicem paulisper distantia, vidi sphærosporas oblongas, suo diametro circiter duplo longiores, cruciatim divisas, filis parallelas. Sectione transversali stipitis hunc fere totum cellulis minutis oblongo-rotundatis contextum observavi. Interiores et longe plurimæ cellulæ directione radii paulisper longiores mihi adparuerunt; extimæ vero, directione tangentis parum conspicue elongatæ, paucis seriebus dispositæ.

Qualem igitur structuram Schizymeniæ? bullosæ observavi, hanc potius cum Kallymenia, quam cum Schizymenia congruentem dicerem, ea tamen differentia ut extra stratum,

quod in Kallymenia corticale manet et demum ipsum fit sphærosporiferum, novum provenit stratum, filis verticalibus constitutum, quod sphærosporiferum vidi. Cum structura, ita explicata, analysin structuræ a Harvey datam non optime convenire, concedendum est. Sunt præterea quoque alia nonnulla in descriptione Harveyana, quæ dubia de hac planta mihi movent. — Stipitem dixit crassissimum — conicum depinxit et sesquipollicarem — ex apice frondem exserentem, quam ab initio peltatam, dein in lobos, basi plus minus cohærentes, latissime obovatos subdivisam descripsit. Stipitem perennantem supposuit et forsan, ad modum Laminariæ, frondem annuam dejicientem. — Præter frondes stipiti adhærentes, fragmenta memoravit a stipite soluta, quæ substantia et superficie bullata congruentia, cum sua planta identica consideravit: hisque, ut videtur, ducentibus frondes demum giganteas, diametro 2—3 pedales fieri, conjecit.

Specimen ipsum Harveyanum comparanti mihi mirum sane adparuit, quod in hoc nulla omnino indicia observaverim bullosæ illius adparentiæ, quam suæ speciei ita characteristicam consideravit, ut ipso nomine dato hunc indicaverit. Sit vero ut frons, antea plana, sub alio evolutionis stadio fieret bulloso-inflata: attamen mihi certum videtur hanc adparentiam sæpe obvenire in alia planta, quam cum *Schizymenia bullosa*, qualem pinxit Harvey, facilius forsan quis confunderet.

Inter plantas — Schizymeniis, Halymeniis, Kallymeniis similes — quas ad oras Australiæ obvenientes memoravit Harvey, vix aliam adesse putarem, de qua speciatim monuit, eam demum in frondem giganteam excrescere. Raro ejusmodi plantæ integræ in littora ejiciuntur; sæpius sunt fragmenta et hæc plerumque fructibus destituta, quæ in Herbariis obveniunt; et hæc certe non facile invicem dignoscantur, nisi subtiliore facta structuræ analysi. Confiteor me plures species quoque diversorum Generum ad formas istas giganteas "*Schizymeniæ? bullosæ*" diu retulisse, quas demum, speciminibus melioribus comparatis, ad alias species pertinere didici. Bullosa fragmenta equidem vidi, quæ hodie ad *Halymeniam Kallymenioidem* refero; fragmenta alia habui crassitie et magnitudine insignia, fronde sessili, si non vere peltatim expansa, instructa, quæ nomine *Pachymeniæ sessilis* hoc loco describuntur. Forsan sit conjecturæ locus, aliis non melius contigisse has formas dignoscere; et ita deducere ausus sum nonnulla ex iis, quæ de sua specie memoravit Harvey, spectare fragmenta ista, a stipite soluta, quæ ad suam speciem referenda putaverit. Quin immo ipsam iconem Harveyanam comparanti mihi adparuit nullo modo certum esse laminam depictam stipiti adhæruisse; revera ipse fere separatam depinxit. Hinc dubia mihi manent anne species Harveyana plures formas complecteret, quas ad nostram speciem referre non auderem.

Speciem Harveyanam a nemine postea observatam fuisse, scio. Ipse in Epicrisi diagnosem exaravi, qualem ex icone et descriptione Harveyana deducere licuit. Sonder speciem enumeravit, auctoritati fidens operis Harveyani. Sub ultimis annis plura specimina habui, ex diversis Novæ Hollandiæ oris, quæ cum dubio ad speciem Harveyanam retuli, nescius ad quas species melius referrerentur. Hodie has distinguere conatus sum; de his videas quæ hoc loco de *Halymenia Kallymenioide* et *Pachymenia sessili* uberius attuli.

Harveyum characterem præcipuum suæ speciei ex stipite valido et, ut crediderit, perennante deducisse; hunc vero tantum sub ætate magis provecta provenire, patet. Quod attinet fragmenta, a stipite separata, quibus inductus plantam denique giganteam fieri statuit, apparet ipsum hunc characterem stipitis his defuisse. Si vero nullam aliam plantam subsimilem sibi cognitam habuerit, forsan conjicere liceat eum sine accuratiori omnium analysi hæc fragmenta, a stipite soluta, cum planta stipitata identica declaraverit.

2. Epiphl. grandifolia *J. Ag. mscr.* fronde supra stipitem brevem cuneatum mox dilatata in folium validum (ultra pedalem) elongato-oblongum, marginibus sparsissime dentatum aut undulatum, crassum firmum et subindivisum, tota superficie demum ut videtur fructifera.

Ad Port Phillip Heads legit J. Bracebr. Wilson!

Fragmenta, quæ hujus vidi, longitudine nunc usque pedalia et 6—8 pollices lata, sunt admodum firma, pergamena fere dicerem, colore intense coccineo-purpureo instructa; fructifera ita arctissime chartæ adhærent, ut quamquam crassa et per annos plures in Herbario servata, chartam firmam convolutam reddere tendant. Frondem planam, nec bullosam, offerunt. Stipes admodum distinctus adest, ab expansione radicali minuto surgens, infima basi teretiusculus, dein compressus, paucas lineas longus, mox cuneatim dilatatus in folium, quod distantia 2—3 pollicari supra radicem jam latitudinem 4—5 pollicarem attingit. Dein eadem fere servata latitudine expanditur folium saltem ultra pedale, facilius putarem pluripedale — integrum non vidi. Unum marginem paulisper ampliorem, parcis plicis undulatum nunc vidi, nunc margines paulisper inæquales, quasi obsoletius dentatos.

Quoad structuram cum supra descripta *Epiphl. Harveyi* hanc convenire puto; ita tamen diversam, ut stratum interius viderim magis evolutum, filis et numerosioribus et crassioribus atque ob granula amylacea, quæ continent, magis conspicuis, quare frons farcta adpareat, nulla adparentia frondis sub-tubulosæ. Fila plurima (et interiora longiora et exteriora cellulas æmulantia — strati interioris —) paginibus parallela excurrere videntur; stratum exterius (quod quasi fructiferum descripsi in *Epiphl. Harveyi*, si hæc quoad structuram cum Kallymenia compararetur) est quoque eximie evolutum in *Epiphl. grandifolia.* Fila ejusdem verticalia sunt longiora et dichotoma, quasi fasciculos minutos densissime juxtapositos constituentia; ad mediam circiter longitudinem filorum (quasi supra articulum infimum, pedicelli vicibus fungentem) vidi sphærosporas inter ramos fasciculi steriles (paranemata) subsingulas, oblongas, ipsarum diametro circiter duplo longiores, cruciatim divisas, singulis partibus sua longitudine diametrum ipsarum duplo superantibus. Stratum hoc fertile supra totum folium demum expansum putarem.

Nonnulla hujus fragmenta habui, in quibus sphærosporas frustra quæsivi; hæc membranam paulo tenuiorem offerunt et colore magis purpureo instructa; nec chartæ adhærent; alia sphærosporifera sunt crassiora, colore in lateritium paulisper vergente abludentia; hæc chartæ arctissime adhærentia vidi.

Denique adnotare lubet me in strato interiore hujus plantæ, præter fila crassiora, quorum articuli, granulis amylaceis farcti, coerulescentes evadunt adposito Chl. Z. Jodio, observasse adparatum filorum tenuissimorum, quasi in spatiis inter fila crassiora evolutum; fila hæc tenuissima fere ex aureo-nitentia vix conspicue articulata mihi obvenerunt. Mihi hæc fila analoga adparuerunt cum iis, quæ alio loco (*Morphol. Floridear. p. 27, 121, 199*) fila hyphæformia dixi, partes constituentia systematis cujusdam filorum descendentium, quod in haud paucis Florideis observare credidi. Quomodo hæc fila dignoscantur ab illis, quæ sub nomine "*tubes conducteurs*" foecundationi inservientia statuere voluerunt, mihi latet. Quod hæc fila obvenire vidi in specimine sphærosporifero, contra totam hanc foecundationis theoriam, argumentum præbere haud læve, hoc loco animadvertere liceat.

CHAMPIEÆ *J. Ag. Epicr. p. 290.*

LXVIII. Chylocladia *J. Ag. Epicr. p. 295.*

Utrum subgenera l. c. recepta, quæ præcipue suadente structura distincta fuerunt, retineantur, an alio modo Species melius disponere liceret, de hoc hodie certum judicium ferre non auderem. Id vero certum mihi videtur, characteres subgeneribus datos, aut sensim mutandos esse, prout novæ detegantur formæ, quæ intermediæ inter sectiones receptas videantur; aut nova constituantur subgenera, in quibus nonnullæ species forsan demum reciperentur. Species duas novas mihi hodie describenti, quarum utraque suo modo a subgeneribus adoptatis recedit, sane displicuit methodus ista subgenerum novorum, quæ singulis recipiendis formis constituuntur. Aliam viam igitur anteposui, subgeneribus antea adoptatis characteres paulisper mutatos tribuens.

Chylocladiæ species quoad dispositionem fructuum quasdam offerre differentias, equidem vidi; sphærosporas ita in nonnullis magis sparsas obvenire, in aliis evidentius in soros collectas; easdem nunc in ramulis, a sterilibus vix alio modo dignoscendis, generari, nunc in ramulis sua forma propria definitis *(Chyl. phalligera. Chyl. Ramsayana)* demum fieri evolutas; soros denique sphærosporarum nunc certam quandam in ramulo regionem occupare, nunc in ramulo fertili plures obvenire et quoad locum natalem forsan minus definitos. Quid vero sibi valent hæ differentiæ, nondum certius statuere liceat, fructibus in pluribus speciebus hodiedum ignotis.

Contra modum, quo de limitibus specierum judicant et synonymiam nonnullarum specierum tractarunt Hauck et Algologi Italiæ, meam qualemcunque opinionem abludentem hoc loco repetere placet. Vera *Chylocl. acicularis J. Ag. Alg. Med.*, — quam nunc ad *Chyl. robustam*, nunc ad *Chyl. firmam* retulerunt, aut omnes has unam eandemque speciem considerarunt — a nemine judicantium observata, mihi facilius videretur. Alio modo explicare nequeo quomodo plantas ita diversas conjungere suadent. Formam *Chyl. aciculari* proximam ex India occidentali habeo; alia species huic proxima est *Chyl. rigens*, quam et in Oceano atlantico calidiore et in pacifico identicam obvenire, suspicor; denique obvenit ad oras Novæ Hollandiæ *Chyl. Gelidioides Harv. Syn. in Phyc. austr. sub n:o 603;* quas omnes Chyl. aciculari proximas crederem, neque autem cum *Chyl. firma*, nec cum *Ch. robusta* easdem conjungere auderem. In *Ch. firma*, qualem hanc mihi cognitam habeo, rami ramulique inferne concrescunt in cæspitem, vix nisi

dilaceratione explicandam, quod in Ch. aciculari non vidi; Ch. robusta est aliis omnibus multo firmior. De characteribus, quibus cæterum dignoscantur, præmaturum censeo ulterius dicere, fructibus in plurimis parum cognitis.

Formas nonnullas, mihi novas species constituentes, sequenti modo inter alias inserendas puto.

Sub-Genus I. **Chondrothamnion.**

CHYL. MONOCHLAMYDEA *(J. Ag. mscr.)* rosea, cæspitosa, surculis teretiusculis arcuatim adscendentibus frondes erectiusculas gelatinoso-membranaceas inflato-compressas, ambitu lancoideas, a margine pinnatas emittentibus, pinnis oppositis aut subsecundatis, supra basem maximopere constrictam lancoideo-oblongis ellipticisve, sphærosporas in soros informes conjunctas gerentibus, membrana ambiente frondis monostromatica.

Ad oras Novæ Hollandiæ australes (sub n:o 19 misit I. Br. Wilson!).

Hæc formas Chyl. roseæ ita repetit, ut speciem Oceani Atlantici borealem quoque ad oras intimas Australiæ obvenire, facilius crederes. At accuratius examinata monstrat speciem bene diversam. Dum enim in Chyl. rosea stratum interius cellularum majorum extrorsum obtegitur cellulis minutis subglobosis in stratum proprium externum conjunctis, et extus præterea quasi gelatina pellucida anhista cinctis: in forma, contra, Novæ Hollandiæ membranam. tubum interiorem cingentem, unico strato contextam observavi; cellulasque ejusdem rotundato-angulatas, lateraliter 5—6-gonas, ita arcte invicem conjunctas ut frondem integriusculam servare valeant. Hac observata differentia, aliæ quædam quoque mihi adparuerunt. Planta mihi videtur magis cæspitosa, et modo paulisper Chyl. uncinatæ offert primarios surculos arcuatim adscendentes, apice sæpe curvato (forsan demum recurvatos). Hos surculos initio magis cylindraceos esse putarem, sensim vero eosdem vidi in media parte dilatatos, et magis ramos secundarios æmulantes. Rami secundarii, magis erectiusculi, fere repetunt omnino formas. quas Chyl. roseæ privas novimus. Adultiores nimirum sunt foliiformes et fere lanceolati. utrinque eximie attenuati, nunc magis obovati; juniores in fronde magis decomposita fere oblongos vidi, et forsan magis cylindraceos. A ramis secundariis (foliiformibus) tertia series provenit, nunc folia ab utroque margine opposita, nunc ab uno margine secundata æmulans. Quo magis rachides foliiferæ complanatæ et foliiformes obveniunt. eo magis cum habitu et ramificatione disticha Chyl. roseæ convenire videntur. In fronde magis cylindracea. in surculos arcuatos excrescente, folia bifariam a surculo erectiuscula putarem. In frondis parte inferiore et adparenter paulisper firmiore vidi cystocarpia, pro magnitudine plantæ sat magna, diametrum dimidium frondis, in qua insident, fere latitudine æquantia. basi paulisper contracta fiunt fere ovata, apice parum producto, nucleum subglobosum foventia. Intra membranam exteriorem, cellulis monostromaticis rotundato-angulatis contextam. pericarpium firmatum observavi reticulo arachnoideo filorum anastomosantium, quod ab imo fundo cystocarpii egrediens, nucleum ambit et apice contractum ad carpostomium conducit. Nucleus una cum adparatu reticuli ab infima parte cystocarpii pro-

veniens, constat gemmidiis rotundatis aut paulisper oblongis, singulis (membrana) limbo pellucido gelatinoso cinctis, quo adjuvante in nucleum facilius et arcte coalescere videntur. Intra dissectum nucleum vidi globos adhuc juveniles, ex quibus gemmidiorum generationes posteriores provenientes suspicor. Soros sphaerosporarum per folia superiora sparsos observavi; his locis fila quædam frondis interiora adhuc persistentia observare credidi, quibus quasi adjuvantibus duplicatura membranæ oriri putarem, intra quam sphærosporas nidulantes obvenire mihi adparuit.

Ex iis, quæ de structura Chyl. monochlamydeæ attuli, patet, me judice, hanc speciem esse Chyl. roseæ proximam, et hoc modo ad subgenus Chondrothamnii esse referendam. Quod vero, si ita sit, patet quoque characterem Chondrothamnii ita esse corrigendum, ut speciem monostromatica fronde instructam complectere sineret.

Sub-Genus II. Chondrosiphon

Chyl. corynephora *(J. Ag. mscr.)* purpurascens erecta pyremidata, fronde pinnatim decomposita, ramis conformibus quoquoversum vage egredientibus, secus totam longitudinem ramulosis, rachide supereminente nudiuscula, ramis ramulisque basi attenuatis, ramis dein cylindraceis obtusis, ramulis clavatis, sphærosporiferis conformibus, sphærosporis in soros maculæformes rotundatos, in ramulo plures, vage sparsos collectis.

Hab. ad Western Port Novæ Hollandiæ australis, a I. Brac. Wilson collecta.

Habitu et magnitudine fere Chondriam clavatam Harv. refert. Sectione transversali adparet frondem inferiorem esse tubulosam et compressam, duplici strato vacuum internum ambiente, interioribus nempe cellulis pluriseriatis, intimis majoribus oblongis, exterioribus sensim minoribus in corticales minutas abeuntibus. In ramo superiore ramulisque stratum interius fere unica serie cellularum contextum vidi; cellulas strati exterioris endochromate coloratas sensim plures fieri putarem; interioribus harum sensim in cellulas strati interioris transeuntibus. Exteriorum cellulas contentu grumoso, intra membranam instructas vidi. Stratum anhistum hyalinum, frondem ambiens, vix adest. Locis, in quibus sphærosporarum sori introrsum coguntur, evolvitur plexus filorum interiorum fere hemisphæricus, extrorsum limitatus cellulis sphærosporiferis, cryptam maculæformem fertilem ambientibus. Sphærosporæ circumcirca a facie cryptæ radiantes, triangule divisæ.

A structura frondis descripta et configuratione sori satis, me judice, patet hanc speciem neque ad Coeloclonia, neque ad Chondriopsides, cum quibus forsan quis eam compararet, referendam esse. Utroque respectu cum Chylocladia sat convenire mihi videtur; cystocarpia tamen nondum observare mihi contigit. Quale Genus Chylocladiæ a me *(Epicr. p. 296)* subdivisum fuit, ad sectionem *Chondrosiphonis* pertineret nova species: inter alias hujus sectionis ipsa ramificationis norma facilius distincta.

Sub Genus IV? Erythrocolon.

CHYL.? VALIDA *(Kütz.) J. Ag. mscr.* erectiuscula, articulato-constricta decomposito-ramosa, ramis ab apice ramorum prolificantibus, inferne quaternis, dein ternis geminisve, articulis omnibus cylindraceis elongatis, suo diametro usque decies longioribus; isthmis articulos conjungentibus filiformibus.

Lomentaria valida *Kütz. Tab. Phyc. Vol. XV. tab. 85.*

Ad oras australes Novæ Hollandiæ.

Quamquam sterilem plantam tantum vidi, tamen eam Chyl. Muelleri proximam esse, vix dubito. Cum hac omni fere respectu convenientem puto: dum vero in hac rami ab apice articulorum provenientes sæpe terni generantur, unico quasi principali caulem formante, lateralibus brevioribus; sunt ramuli in nostra inferiores sæpe quaterni, superiores terni aut gemini, omnibus subparibus frondem fere fastigiatam formantibus. Dum in Ch. Muelleri articuli inferiores sunt oblongi aut ellipsoidei, diametro circiter 4-plo longiores, sunt in nostra cylindracei, diametro usque decies longiores, inferiores pollicem longitudine æquantes, infimo usque sesquipollicari. Articuli supremi in Ch. Muelleri obovati, in nostra cylindracei. In utraque articuli infimi sensim solidescunt, cellulis oblongis majoribus strati interioris vacuum interius frondis implentibus. Pro ætate cellulas strati exterioris sensim numerosiores fieri putarem, et stratum gelatinæ anhistum, quod in juniore adest, sensim in adultiore obsolescere. Cystocarpiis mihi ignotis, de affinitate utriusque plantæ judicare non audeo.

Epicrisin Floridearum scribens, *Chyl. validæ* nullum specimen ipse observaveram. Ex icone, quam dedit Kützing, differentiæ, quibus species a Ch. Muelleri dignosceretur, nec admodum conspicuæ mihi adparuerunt. Hinc hodie novam dedi descriptionem, indicatis simul differentiis, quibus utraque species dignoscatur.

RHODYMENIACEÆ *J. Ag. Epicr. p. 307.*

(LXXII.) Chrysymenia *J. Ag. Epicr. p. 317.*

Sub-Genus I. Leptosomia.

1½. CHRYS. GELATINOSA *(J. Ag. mscr.)* pallide rosea, fronde gelatinoso-membranacea plana, supra stipitem evidentem brevem cuneatim expansa, subpalmatim in lobos paucos principales subdivisa, marginibus inferne subincrassatis, nunc subglandulosis, parce undulato-plicatis, superne laciniatis, laciniis tenuissimis subvage expansis, sphærosporis per totam frondem superiorem laxius sparsis.

Ex oris Novæ Hollandiæ australis misit I. Br. Wilson.

Speciem Chrysymeniæ judicavi, quamquam Cystocarpiis ignotis de affinitate certius judicare non liceat. Ad Chrys. Cliftoni J. Ag. l. c. proxime accedere videretur, at distincta ipsa forma frondis potius palmatisecta quam pinnatim decomposita, et structura ita tenui et mucosa, ut cellulæ interiores rotundato-oblongæ fere per unicam seriem dispositæ mihi adparuerint. Intra has cellulas fila interiora spatium internum (fere vacuum) laxissime percurrentia vidi; rami ex his provenientes et extrorsum porrecti, fere moniliformiter articulati, cellulas minutas corticales quasi sustinent. Cellulæ istæ corticales, secus limites cellularum interiorum præcipue dispositæ, endochroma parum coloratum fovent, quare tota frons ex roseo pallida adparet. Inter cellulas corticales observavi sphærosporas rotundatas cruciatim divisas, singulas et laxius sparsas. Compagem admodum laxam frondis uberiore strato mucoso contineri crederes. Frondem vidi longitudine circiter 8 pollicarem, et latitudine fere æque expansam; laciniis majoribus 2—4 pollices latis. Chartæ arctissime adhæret.

7. CHRYS. HALYMENIOIDES *Harv. J. Ag. Epicr. p. 322.*

Quoad specimen, quod examinavi, tamen sterile et decoloratum, ***Gracilariæ dichotomo-flabellatæ Crouan in Mazé et Schram Alg. Guadeloup. p. 218*** et ***Murray Alg. of West-Indian Region p. 10*** hæc mihi species adparuit Chrysymeniæ Halymenióidi proxima, si non omnino identica. Animadvertere placet quandam Chrysymeniam dichotomo-flabellatam quoque inter Alg. Guadel. p. 162 memoratam fuisse; cujus nullum specimen vidi. De specimine a me observato indicatum video id ín concha Strombi lectum fuisse, quod de Gracilaria dichotomo-flabellata quoque dicitur.

(LXXV$^1/_1$) Stictosporum *Harv. mscr. Nov. Genus Tab. I. 1.*

(Typo *Rhodophyllis? Nitophylloides Harv. Phyc. austr. tab. 258).*

In hac planta, quam ut dubiam speciem Rhodophyllidis icone pulchra demum illustravit Harvey, typum novi Generis ab initio suspicatus est, quod nomine Stictospori designavit; hoc vero, cystocarpiis plantæ rarius obviæ omnino ignotis, ut Subgenus Rhodophyllidis in Spec. Algarum introduxi. Postea tum numerosa specimina sphærosporifera, a pluribus locis natalibus Novæ Hollandiæ occidentalis provenientia, tum pauca cystocarpiis bene evolutis instructa examinare contigit, quibus patet plantam ab aliis speciebus Rhodophyllidis ita diversam esse, ut typum Generis proprii in ea lubentius agnoscerem.

Structuram frondis vix rite antea descriptam fuisse, censeo. In fronde sterili duo strata diversa assumere vellem. Stratum externum constat cellulis rotundato-angulatis (subcubicis), quæ in fronde adultiore per plures series superpositæ sunt, extimis nunc fere verticaliter paulo longioribus, intimis secus paginas (directione tangentis) paulo longioribus. Stratum internum constat filis directione paginarum elongatis, at paucis, et ita densis ut singula ægre dignoscantur.

Adposita guttula Chl. Z. Jodii vidi cellulas strati exterioris, endochromate obscuriore farctas, coerulescentes fieri; fila interiora, velut ipsam superficiem induere colorem aureo-fulvum; et structuram hoc modo magis conspicuam fieri.

Cystocarpia vidi numerosa, per totam fere frondem sparsa, nunc distantiora, nunc plura adproximata, inter utramque paginam fere æque distentam nidulantia, filis strati interioris his locis fertilibus eximie evolutis et copiosioribus, plexum conspicuum circa nucleum formantibus, instructa. Pericarpium crassum (a strato exteriore frondis formatum diceres) pluribus seriebus cellularum cubicarum superpositis constat, a quibus extimæ directione radii paulisper longiores, intimæ magis oblongæ et directione tangentis parum elongatæ mihi adparuerunt. Hæc strata pericarpii in utraque pagina fere æque crassa adsunt; quo vero loco formatur carpostomium, in alterutera pagina situm, ita cellulæ dispositæ sunt ut canalem pervium, intus paulisper dilatatum et extrorsum angustiorem circumcirca cingant. Hoc modo canalem carpostomii proprium in hac specie vidi; nec, ut in plurimis Rhodophyllis speciebus obtineat, nonnullis secedentibus cellularum seriebus, gemmidia singula erumpere videntur.

Intra pericarpium nucleus cingitur plexu ampliore filorum circumpositorum. Hæc fila sunt articulata, ramosa et anastomosantia, articulis elongatis cylindraceis, aut brevioribus ellipsoideis; a latere paginæ, quæ carpostomio opponitur, quasi exeunt fila, circa nucleum porrecta, carpostomium versus demum extensa; filorum fasciculus quasi interior, ex eodem loco introrsum porrectus, in nodum placentarem, a medio parietis surgentem, transmutatur; ex hoc nodo interiore fila nonnulla gemmidiifera, quoquoversum radiantia, obovato-cylindracea exeunt, quorum in articulis (aut parte superiore) gemmidia, non admodum numerosa, rotundato-angulata, in nucleum conglobata nidulantur. Plexus circum-nuclearis, una cum placenta (interiore), suffulta mihi adparuit cellulis quibusdam rotundatis, conspicuis, intra parietem pericarpii leviter prominulis.

Sphærosporis singulis, per frondem sparsis, zonatim divisis speciem Rhodophyllidi proximam esse, jamdudum assumserunt.

Comparanti ea, quæ in structura frondis et cystocarpiorum a cæteris Rhodophylleis plus minus aberrantia vidi, vix dubitandum mihi adparuit speciem, hucusque nomine *Rhodophyllis Nitophylloides* intellectam, Genus sui juris constituere, ut hoc jamdudum Harveyo placuit. Structura frondis ab aliis speciebus Rhodophyllidis jam dignoscatur, velut pericarpio multo firmiore et hinc carpostomium alio modo formante. Characterem vero præcipuum ex structura nuclei

deducere vellem. Dum enim in aliis Rhodophylleis nucleus constat nucleolis pluribus, qui invicem separantur filis sterilibus, ad plexum circum-nuclearem excurrentibus, in Rh. Nitophylloide vidi nucleum simplicem et nullis intercedentibus filis in nucleolos subdivisum. Quo quidem simpliciore nucleo plantam potius Rhodymenieis proximam putarem. A plurimis vero horum Generibus distat sphærosporis zonatim divisis. Hinc Genus novum post Epymeniam, Plocamio proximum, diponendum esse putarem.

RHODOPHYLLEÆ *J. Ag. Epicr. p. 310.*

Gloiophyllis *J. Ag.* *)

(Nov. Genus typo *Rhodophyllis Barkeriæ Harv.*).

Frons gelatinoso-membranacea, plana, subdichotoma aut subpinnatim laciniata, subtriplici strato cellularum contexta; cellulis interioribus oblongis laxius conjunctis, corticalibus subglobosis; strato axili filorum articulatorum spatia interiora intercellularia occupante. *Cystocarpia* extra paginas emergentia, globosa, intra pericarpium cellulis utriusque strati exterioris oblongo-globosis, muco cohibitis, circumcirca ambientibus contextum, nucleum subcompositum foventia; nucleoli a nodo centrali filorum circumcirca radiantes, filisque sterilibus interjectis separati et circumambientibus tecti, filis fasciculatis articulatis constituti, in articulis superioribus gemmidia conglobata muco cohibita generantes. *Sphærosporæ* infra stratum corticale immersæ, zonatim divisæ.

Species nobilissima, quam sub nomine *Rhodophyllis Barkeriæ* in ultimo volumine Phycologiæ australis tab. CCLXXVI. descripsit Harvey, ita ab aliis speciebus Rhodophyllis diversa mihi adparuit, ut novi Generis typum in hac lubentius agnoscerem. Dum enim in aliis speciebus Generis cellulæ, quæ frondes constituunt, cinguntur parietibus membranaceis, utrinque rite limitatis, et diversæ cellulæ invicem cohærent in compages cellulosas admodum firmas, quales speciebus Rhodophyllidis et Delesseriearum fere characteristicas dicerem; his contrarium video in *Rh. Barkeriæ*, cujus cellulas extrorsum rotundatas, laxius

*) Genus novum, hoc loco jamdudum descriptum, nomine Grunowiellæ a Schmitz indicatum hodie vidi; quo charactere distinctum, et quibus limitibus circumscriptum adhuc latet.

intra mucum conjunctas, fere potius haberes vacua, intra mucum sparsius disposita, qualia obvenie quis fingeret in formis, quas olim Halymeniis quibusdam typicas considerare consueverunt. Præter has differentias, ut ita dicam, substantiæ, cystocarpia circumcirca clausa mihi adparuerunt, (nisi potius ob cellulas pericarpii laxius conjunctas, et has ut crederes facilius secedentes quasi circumcirca aperta, gemmidiis maturis exitum ubicumque præbentia). Sphærosporas, quod attinet, hucusque ignotas, has observavi per frondem sparsas, infra stratum corticale vix mutatum nidulantes, singulas aut paucas adproximatas, zonatim divisas.

Quia frons est eximie gelatinosa, forsan credere licet eam in speciminibus non optime præparatis facilius ita collapsam fieri, ut structura speciei propria non bene conspiciatur. Adposita vero guttula acidi muriatici, structuram sat evidentem observavi et hanc vario respectu abludentem ab ea, quam (in icone) speciei tribuit Harvey. Frons fere triplici strato constat. Intermedium nimirum componitur cellulis sat magnis oblongis, longitudinali directione secus paginas extensis, adparenter admodum gelatinosis et invicem plus minus distantibus, infra utramque paginam pauci-seriatis; extra has paucæ obveniunt conformes, at usque duplo minores; hæ, velut majores, contentu mucoso et parum conspicuo impletæ. Extra has, quas omnes intermedii strati cellulas supra consideravi, cellulæ strati corticalis adhuc minores, endochromate eximie colorato dignoscendæ, quas vix dicerem in stratum proprium coalitas, sed potius in medio gelatinæ ambientis densius juxtapositas (vix conspicuis membranis harum tenuissimis, in gelatinam utrinque abeuntibus); alias harum majores et interiores, alias minores paulisper extra alias prominulas. Juxta margines frondis cellulæ interiores utriusque paginæ adproximatæ obveniunt et sub-contiguæ; in parte interiore frondis spatia obveniunt inter cellulas utriusque paginæ magis conspicua, et his locis præcipue in conspectum veniunt fila strati cujusdam axilis, angusta, longa, articulis oblongis et cylindraceis composita, quæ demum fiunt in planta fructifera magis conspicua. Plexus nimirum horum filorum, magis evolutus, a media fronde in cystocarpium extenditur, et in hoc, ulterius evolutus, tum nodum placentarem in medio cystocarpii efficit, tum fila fertilia a nodo centrali quoquoversum radiantia emittit. Ipsum pericarpium constituitur cellulis utriusque strati exterioris, nempe corticalibus, endochromate intensius colorato dignoscendis, et interioribus, quas oblongas dixi; hæ vero intra pericarpium minores; quales utrasque in icone Harveyana dignoscere licet. Corticales cellulas pericarpii fere potius dicerem in muco dispersas (alias interiores, alias exteriores et sæpe mi-

nores) quam in stratum proprium coalitas. Interiores cellulæ pericarpii mihi adparuerunt invicem distantes, at poris prominulis invicem conjunctæ; superiores harum cum inferioribus cohærent, et sparsim quoque junguntur eæ collaterales, quæ sunt invicem proximæ. Si accuratius attenditur his cellulis interioribus, easdem videas quasi in fila conjunctas, quorum alia inter nucleolos orta, ibidem tenuiora adparent, extra nucleum vero intumescentia fiunt moniliformia, articulis filorum in cellulas dictas, parum conspicue conjunctas transmutatis; alia fila, aut filorum rami, magis concentrice extra nucleum excurrentia, hunc cohibere tendunt. Carpostomium proprium vix adesse putarem.

Ipsa fila gemmidiifera sunt a plexu placentari circumcirca radiantia, fere fasciculatim in nucleolos fere obovatos collecta, fasciculis initio magis cohærentibus, sensim magis in fila ramosa moniliformia solutis, articulis demum in gemmidia abeuntibus.

Genus novum, quamquam characteribus allatis sat distinctum, tamen Rhodophylleis aliis proximum censeo. Inter species hodie descriptas nullam scio cum specie typica congenericam. Structura autem frondis fere eadem est, quam Chrysymeniæ speciebus nonnullis privam considerare consuevimus; et nonnullæ hujus Generis species nec habitu ita recedunt, ut jam ex habitu species utriusque Generis certius dignoscere liceat. Quamquam igitur comparatis fructibus Genera dicta in Systemate longius invicem distantia censeantur, tamen speciem unius Generis inter formas adhuc quoad fructus ignotas alterius obvenire posse, negare equidem non auderem.

Duas formas hodie habeo, quas invicem proximas censeo, habitu seu potius ramificationis norma paulisper diversas; quarum unam fructiferam cum specie Harveyana certe identicam, alteram sterilem, quam novam speciem Chrysymeniæ initio credidi. Comparata utriusque structura, nullam inter utramque differentiam vidi; ignotis tamen fructibus unius ægre de specifica differentia judicatur. Utramque interea ut formas ejusdem speciei, ramificationis norma paulisper diversas, affero.

1. Gl. Barkeriæ *(Harv.)* fronde plana dichotoma aut prolificationibus a margine exeuntibus subpinnatim laciniata, segmentis adultioribus a basi latiore sensim attenuatis obtusiusculis.

Rhodophyllis Barkeriæ Harv, Phyc. austr. tab. 276; J. Ag. Epicr. p. 363.

Hab. ad oras australes Novæ Hollandiæ.

var. PALMATA fronde plana superne dichotoma, nunc trichotoma, inferne segmentis adproximatis polychotoma et adparenter palmata, segmentis infra polychotomias late cuneatis. *Chrys. palmata J. Ag. mscr.*

Hab. ad oras australes Novæ Hollandiæ (sub n:o 52 a I. Br. Wilson missa).

Segmenta inferiora, pollicem circiter lata, usque 5 adproximata et subpalmatim exeuntia, nisi potius geminas laterales utroque latere segmenti medii diceres. Infra hæc segmenta frons est insigniter cuneatim dilatata, latitudine usque tripollicari. Hanc divisionis normam bis et ter repetitam vidi.

LXXXVI/₁. Pogonophora *J. Ag. mscr. Tab. I. 2.*

Frons filiformis subdichotoma quasi heteromorpha, inferne inarticulata cellulosa, superne circa apices ramorum fasciculis filorum minutissimorum barbata; *Cystocarpia* ad ramos pedicellata obovato-globosa, intra pericarpium cellulosum foventia nucleum rotundatum subcompositum; nucleus supra adparatum placentarem, filis anastomosantibus contextum, et inter radios filorum sterilium ad pericarpium excurrentes suspensus, nucleolis numerosis quoquoversum radiantibus compositus; nucleoli fasciculis filorum a placenta radiantibus constantes, in articulis superioribus gemmidia seriata subglobosa foventes. Sphærosporæ intra stichidia a filis callithamnioideis transformata, duplici serie dispositæ, triangule divisæ.

In planta minuta, 2—3 pollicari, typum novi et distinctissimi Generis videre credidi, quod fronde suo modo heteromorpha — in inferiore parte inarticulata et cellulosa, in superiore circa apices ramorum ramulorumque fasciculis minutissimis filorum, Callithamnion quoddam æmulantibus, obsita — cum paucis aliis Generibus Floridearum (*Thamnocarpo, Alsidio, Dasya, Heterocladia, Trigenea*) hoc respectu convenire videretur. Ex his Generibus Heterocladia conformatione frondis ita differt, ut vix quispiam utramque plantam ad idem Genus referre voluerit. Alsidium, Dasyam et Trigeneam ad Rhodomeleas pertinere mihi certum videtur [1]); Pogonophoram vero Rhodomeleis referre structura omnino aliena Cystocarpii vetat. Restat igitur tantum Thamnocarpus, Genus illud parum cognitum, quod Ceramieis referre consuevimus, cujus vero cystocarpia hodiedum ignota manent. Sphærosporæ hujus dicuntur triangule divisæ et ad fila

[1]) Quod hæc Genera attinet, cæterum ea videas, quæ de his hoc loco afferuntur.

Callithamnioidea sessiles, nudæ dicuntur [1]). Si vero jure quodam hoc Ceramieis relatum fuerit, satis patet Pogonophoram ab his longe distare, conformatione cystocarpii longe aliam affinitatem indicante.

Caules in specie, a me observata, Pogonophoræ sunt bi-tripollicares, inferne crassiusculi, pennam passerinam diametro superantes, sursum attenuati, sub apice quasi obtuse angulati, angulis in fasciculum adparenter heterogeneum filorum articulatorum desinentibus. A superficie caules cellulis plurimis minutis angulatis sine ordine dispositis contexti videntur; cellulæ vero aliæ breviores magis rotundatæ, aliæ longiores, quæ, modo fere Nitophyllorum, quasi venas parce ramosas efficiunt inter cellulas breviores; ejusmodi venæ excurrunt ad angulos, a quibus fasciculi filorum proveniunt. Sectione facta transversali totum interius laxiori cellulosa, sed contigua, occupatum observavi; cellulæ nullo ordine adparente disponuntur, rotundatæ aut oblongæ, nunc una adparenter centrali, quæ vero in aliis sectionibus vix conspiciatur. Locis dictis ex caulibus superne exeunt fasciculi filorum brevissimi, latitudinem caulium sua longitudine vix excedentes, parcius ramosi subdichotomi, toti articulati, articulis monosiphoneis crassiusculis, suo diametro vix duplo longioribus. In planta sphærosporifera hæc fila tument in ramos siliquæformes, fere stichidium Dasyæ mentientes, in quo cellulæ aliæ steriles corticales adparent, series transversales formantes; aliæ fertiles, multo majores sphærosporas generant. In stichidio elongato series transversales cellularum numerosæ superpositæ obveniunt, seriebus sterilibus cum fer-

[1]) Genus Thamnocarpi mihi adhuc omni respectu dubium manet. Epicrisin System. Floridear scribens, præter speciem typicam, duas species mihi quoad affinitates dubias ad Genus retuli, et postea his tertiam speciem, æque dubiam, adjeci (*Bidr. Alg. Syst. IV. p. 6*). Ignotis fructibus omnino incertum manet an species allatæ Generi pertineant, velut de affinitate Generis vix liceat judicare. Postea in Th. Gunniano sphærosporas vidi, quales jamdudum Harvey descripsit. In Thamnocarpi Harveyani specimine, quod plurimis ramulis denudatum nuper vidi, demum organa observare contigit, quæ cystocarpia Generis forsan considerare oportet. Inter fila penicillorum, quæ pauca ad apices adfuerunt, organa nimirum observavi, favellis minoribus Dasyphilæ subsimilia, singula in pedicello brevissimo terminalia, aut in ramello laterali subnuda aut hoc quasi fulcrata, obovato-globosa, intra periderma latum hyalinum gemmidia numerosa, sine ordine conglobata, foventia. Attamen præter hæc organa vidi alia, in ramello lateralia, clavato-obovata, organa Monosporæ fere referentia, nucleo intra periderma hyalinum integriusculo; et insuper quoque his duplo latiora, magis ovalia, nucleo adparenter tripartito. Quum hæc omnia in iisdem fasciculis ramulorum sita deprehendi, assumendum putavi eadem omnia ejusdem generis esse, et evolutionis gradu tantum diversa. Nescio an potissimum assumeretur eadem sistere sphærosporas compositas, quales in nonnullis Ceramii speciebus (Cer. Deslongchampsii) diu cognitas novimus.

tilibus regulariter alternantibus. In media parte stichidii sphærosporas geminas juxtapositas vidi (vix in verticillum, modo Dasyæ, circumcirca dispositas crederem) et immersas, nec modo Spyridiæ singulas emergentes.

Cystocarpia ad caules inferiores lateralia vidi, pro magnitudine plantæ magna, diametrum caulis in quo insident crassitie fere superantia, in ramulo transformato (nunc quoque infra cystocarpium barbato) terminalia, quasi pedicellata, obovato-globosa. Segmento facto longitudinali vidi inferiorem partem intra corticem occupatam cellulis angulatis laxius dispositis at invicem anastomosantibus, placentarem adparatum, a fundo cystocarpii aliquantulum oblique adscendentem, formantibus. Cellulæ hæ placentares fiunt magis elongatæ in centrali parte ipsius nuclei, et fila tenuiora anastomosantia, ramorum instar ad pericarpium inter nucleolos exeuntium, quoque emittunt. Ipse nucleus constat nucleolis plurimis a placenta centrali sursum et lateraliter radiantibus, invicem distinctis adparatu filorum sterilium, a placenta ad pericarpium excurrentium. Nucleoli singuli constant fasciculo filorum fertilium, quorum in articulis supremis gemmidia plurima minuta, nunc transverse ovalia, demum rotundata, seriata et quasi radiantia obveniunt intra membranam transparentem articuli generantis; membrana facilius dissoluta, gemmidia mox disperguntur. Intra cellulas corticales fila sparsa interiora a basi pericarpii sursum excurrunt, quæ anastomosibus connectuntur cum iis quæ inter nucleolos a placenta proveniunt. Carpostomium nullum vidi.

Ex iis, quæ observare contigit, certissimum mihi videtur plantam neque cum Dasya, neque cum Thamnocarpo comparandam esse. A Thamnocarpo, — cujus frons articulata, si quoque extus corticata, constat articulis monosiphoneis, qui dissectione semper facilius conspiciantur, — *Pogonophora* quoque sterilis nullo negotio dignoscatur. Quod vero non itidem et de Dasya dicerem, nisi accuratius comparata structura. Sphærosporæ(?) externæ in Thamnocarpo quoque admodum diversæ; in Pogonophora et Dasya æque in Stichidiis provenientes facilius adparent; at Stichidia accuratius comparata invicem differunt. Quæcumque autem in his sint similitudines, cystocarpia omnium ita sunt diversa, ut nemini in mentem veniat hæc Genera vera affinitate conjuncta esse. In Thamnocarpo favellæ conjiciuntur, in Dasya Keramidia adsunt; in Pogonophora cystocarpia affinitatem cum Rhodophylleis forsan potissimum suadent. Ab his Genus eo-

dem modo diversum fere diceres, quo Spyridia ab aliis Nematospermeis distat [1]).

Species Generis unica, mihi hodie cognita:

1. Pogon. Californica *J. Ag. mscr.*

Hab. ad St. Barbara Californiæ D:na Bingham!

Perlustranti mihi descriptiones Algarum, quas de Algis Californiæ publici juris fecerunt Algologi Americæ, nullam speciem memoratam vidi, quam cum Pogonophora identicam conjicerem. Specimina paucissima mihi missa fuerunt, et hæc admodum paupera. In uno adparatum radicalem fibrosum observare credidi, a quo caules sparsi singuli emergere videntur.

Nematophora *J. Ag. mscr. Tab. I. 3.*

Frons cylindracea, vage subflagelliformiter ramosa, intra superficiem duplici strato contexta, et insuper externe filis quasi heterogeneis liberis articulatis, a superficie sparsim pullulantibus, subfasciculatis barbata; strato *axili* filis longitudinalibus invicem subdistantibus, at anastomosibus conjunctis subvage contractis et dilatatis contexto; *corticali* cellulis directione radii oblongis coalitis constituto. *Cystocarpia* . . . *Stichidia* transformatione filorum exteriorum orta, iterata subdivisione longitudinali et transversali articulorum tumentia, oblonga, circa seriem axilem articulorum sphærosporas subradiantes minutas cruciatim divisas foventia.

Planta admodum singularis, quam novi Generis typicam considerare cogor, adspectum præbet plantæ Helminthocladiaceæ, at minus gelatinosæ, utpote specimina exsiccatione chartæ vix adhærentia videntur. Extra hanc frondem vero, locis paulisper incrassatis, proveniunt fasciculi minuti, vix nisi lente conspiciendi, filorum brevissimorum, in quibus fructus sphærosporiferi, sub forma stichidiorum demum generantur. Fila hæc exteriora, sunt invicem omnino libera, pro longitudine admodum firma, intra membranam crassiorem in articulos monosiphoneos subdivisa, simplicia aut ramo uno alterove conformi instructa, plantam Callithamnioideam fere referentia.

---

[1]) Si quis crederet esse inter *Pogonophoram* et *Cordylecladiam erectam* quasdam similitudines, ab externa forma frondis et fructuum deductos, animadvertere placet has congruentias accuratius examinatas, revera tantas offerre dissimilitudines, ut de affinitate quadam harum plantarum loqui supersedeam.

Sectione transversali ipsius frondis teretiusculæ hanc constitutam crederes quasi cellulis rotundatis, paulo majoribus et minoribus fere sine ordine conspicuo mixtis, nisi alias majores minoribus sparsim cinctas diceres, cellulis invicem vix concretis sed quasi spatio minore subdistantibus, omnibus intra membranam quasi laxiorem endochroma sat conspicuum foventibus. Sectione longitudinali adparet cellulas dictas revera constare filis elongatis intra membranam pellucidam foventibus endochroma gelatinoso-granulosum, hinc sparsim dilatatis, illinc quasi in appendices angustiores contractum, præcipue ex partibus dilatatis anastomoses emittentibus, quibus mediantibus cum proximis conjunguntur. Prout hæc fila per eorumdem partem dilatatam aut contractam transverse secantur, in sectione transversali sub forma cellularum aut majorum aut minorum adpareant. Stratum corticale plurimis locis fere monostromaticum diceres, cellulis directione radii paulisper longioribus, oblongis aut paulisper obovatis, subcontiguis et superficiem quasi clausam efficientibus; aliis locis et, ni fallor, præcipue ubi fila exteriora proveniant, stratum corticale constare videretur pluribus cellulis superpositis, quas revera extimis partibus filorum interiorum, arcuatim versus superficiem excurrentibus formari putarem.

Fila exteriora libera, quæ quasi peculiari evolutione a cellulis strati corticalis provenire videntur, sunt ita brevia ut diametrum dimidium ipsius frondis longitudine sua attingentia non viderim, plerumque simplicia aut inferne ramello uno alterove conformi instructa, articulata, articulis junioribus brevibus — geminis sua longitudine vix diametrum æquantibus, — adultioribus diametro sesquilongioribus, endochromatibus plerumque utroque apice per porum conspicuum cum proximis conjunctis; nunc articuli (in filis longioribus) diametro usque 2plo—3plo longiores adpareant.

Transformatione filorum exteriorum organa propria exteriora proveniunt, quæ stichidiorum nomine salutare ausus sum. In filo breviore ab articulis quibusdam mediis transmutatis oriuntur, inferioribus fili articulis intactis, supremis ut videtur tabescentibus. Articuli transmutati primum divisione longitudinali fiunt polysiphonei, et, ni fallor, pericentralibus quatuor axilem ambientibus constituti. Qui formantur axiles, hos steriles et ulterius non mutatos vidi; pericentrales divisione saltem bis repetita, longitudinali et transversali — in corpuscula admodum minuta, subgloboso-oblonga abeunt, quæ cruciatim divisa sphærosporis analoga judicavi. Sphærosporæ ita ortæ, intra membranam stichidii persistentem demum invicem liberæ nidulantur.

In paucis speciminibus, hucusque a me observatis, frustra cystocarpia quæsivi; et his ignotis, vanum videatur de affinitate Generis conjecturam quandam proferre. Inter Florideas mihi cognitas nullam scio, quam structura ita congruentem putarem, ut cum ea certius affinem judicare auderem. Inter formas, quas, quasi thallo primario et filis exterioribus quasi heterogeneis constitutas, sub Genere Pogonophoræ memoravi, nullam puto magis quam hanc ipsam cum novo Genere convenientem. Utrum vero plantam Novæ Hollandiæ cum Californica vere affinem credere liceat, an tantum quibusdam characteribus analogam, id hodie mihi omnino incertum manet. Si quoad structuram comparantur Genera, sat dissimilia mihi adparent. In Pogonophora cellulæ corticales irregulariter angulatæ adparent, et magnitudine et forma invicem diversæ, aliis paulisper magis elongatis quasi venas inter breviores constituentibus; stratum interius Pogonophoræ cellulis oblongis constitutum, nec bene cum structura Nematophoræ comparatur. Organa denique, quæ stichidia dixi, in utroque Genere obveniunt, at invicem magnopere diversa. Genera igitur potius invicem in nonnullis analoga, quam vere affinia considero; ipso nomine, paulisper conformi, convenientiam quandam indicare volui.

Hodiedum unica mihi cognita est species:

1. Nematoph. australis *J. Ag. mscr.*

Ex Nova Hollandia a F. de Mueller missa (loco natali mihi non cognito).

Planta pedalis longitudine, pennam columbinam circiter crassa, in ramos conformes paucos elongatos divisa.

SPHÆROCOCCOIDEÆ *J. Ag. Epicr. g. 392.*

Tyleiophora *J. Ag. mscr.*

Frons plana, membranaceo-coriacea, di-trichotoma, stratis duobus contexta; interioribus cellulis rotundato-angulatis, per plures series inter paginas dispositis, corticalibus multo minoribus sub-monostromaticis. *Cystocarpia* supra paginam fere omnino emergentia globosa, intra pericarpium crassum, cellulis multiseriatis plurimis radiatis contextum, apice submamillato in capostomium desinens, nucleum subcompositum foventia; placenta basalis globosa permagna, circumcirca a superficie exsculpta cryptis extrorsum (quasi) apertis, a

parietibus circumcirca fila gemmidiifera, sursum porrecta articulata, invicem libera, emittentibus; gemmidia in articulis supremis oblongis rotundata sensim maturantibus. *Sphærosporæ* in spongiolis elongatis nemathesiosis, secus medium utriusque paginæ dispositis, evolutæ, inter paranemata sparsæ, subrotundatæ cruciatim divisæ.

Plantam capensem, quam plurimis characteribus cum *Tyloto* convenientem putavi, novi Generis typum considerare cogor, quum in nonnullis characteribus, quos majoris momenti æstimare consuevimus, a Tyloto evidenter distat. Comparanti nimirum diagnosem, supra datam, cum ea *Tyloti* Generis, qualem hanc fere iisdem verbis in *Epicrisi Floridearum p. 428* exaravi, facilius pateat præcipuam, ne dicam unicam, utriusque Generis differentiam a sphærosporis deductam fuisse. Sphærosporas nimirum in *Tyleiophora* cruciatim divisas vidi; in *Tyloto* vero jam primi ejusdem descriptores, quisque per se, sphærosporas zonatim divisas observarunt. Quod cystocarpia in *Tyloto* sunt depresso-hemisphærica, et placenta hemisphærica instructa; eadem vero in *Tyleiophora* esse fere globosa, et placenta conformi instructa, minoris momenti equidem putarem.

1. Tyleioph. Becheri *(J. Ag. mscr.)* fronde subcoriacea elongata lineari ditrichotoma, axillis patentibus, segmentis vittæformibus secus totam longitudinem dentato-crenatis subcrispatis sparsimque tortis, terminalibus infra apicem obtusem subintegerrimis, cystocarpiis supra paginam planam fere omnino emersis globosis, nematheciis in disco segmentorum utriusque paginæ intra marginem sterilem elongatis.

 Hab. ad Cap. b. Spei; specimina misit Holmes!

Frondes a callo radicali surgunt numerosæ, vittas elongatas fere referentes, longitudine 6—8 pollicares, fere per totam longitudinem 2—3 lineas latæ, vix ima basi angustiores, marginibus per totam longitudinem dentibus minutis obsitis crenatæ, quasi crispatæ et sparsim tortæ, subdichotomæ aut segmentis geminis suboppositis sparsim quasi trichotomæ, axillis patentioribus; nusquam costatæ, sed ipsa substantia frondis firmiore fere subcoriaceæ dicendæ. Color obscure purpureus. Apices increscentes adhuc inarmatos vidi.

Frondem contextam vidi cellulis rotundato-angulatis sat magnis, per series 4—6 inter utramque paginam dispositis; cellulæ strati corticalis multo minores sub-monostromaticæ. Nemathecia spongiolas elongatas, in utraque pagina intra marginem sterilem provenientes referunt; constant filis fere æque longis, 3—4 articulos superpositos gerentibus; inter hæc fila sphærosporæ subrotundatæ, cruciatim divisæ nidulantur; ab articulo filorum, ut videtur, transformatæ.

Nonnulla Genera Floridearum tum habitu, tum structura, tum fructibus simillima esse, uno aut altero charactere invicem vero differre, hodie constat. Ejusmodi Genera mihi

videntur *Gracilaria* (species planæ), *Tylotus* et *Tyleiophora*; Tylotus ab aliis differt sphærosporis zonatim divisis; Tyleiophora a Gracilaria distat sphærosporis in nemathecia propria collectis.

DELESSERIEÆ *J. Ag. Epicr. p. 444.*

Holmesia *J. Ag. mscr. Tab. I. 4.*

Frons plana carnoso-membranacea sublanceolata, inferne secus medium incrassata, a margine subdivisa, novis foliis demum subpetiolatis concatenata, fere tribus cellularum stratis contexta, intimis directione paginarum longioribus subdiversis, unicam seriem formantibus; extrorsum sequentibus plures series formantibus, duplo brevioribus; corticalibus cellulis subverticalibus fere monostromaticis, iterata divisione in triades et tetrades dispositis. *Fructus* in phyllis minutis petiolatis, in cæspitulos, per paginas frondis sparsos collectis, evoluti. *Cystocarpia* in phyllis anguste marginatis singula, depressa, intra pericarpium radiato-cellulosum, carpostomio apertum, nucleum simplicem foventia; placenta supra unam paginam emersa, fila gemmidiifera plurima emittens; fila articulata dichotomo-fastigiata, superne invicem libera, in articulis terminalibus clavato-obovatis gemmidia subseriata foventia. *Sphærosporæ* in phyllis membranaceis ovato-rotundatis, intra marginem sterilem in sorum rotundatum plurimæ collectæ, rotundatæ, triangule divisæ.

Frons foliis longitudine 4—6 pollicaribus, 5—8 lineas latis, lanceolatis, quasi concatenatis, componitur. Folia primaria a margine distanter subpinnatifida, laciniis foliiformibus, initio basi latiore cum folio primario cohærentibus, sensim inferne angustioribus quasi petiolatis, superne acuminatis, apice obtusiusculo, margine subintegerrimis. Alia folia a margine læso pullulantia, nunc pauca adproximata fere simul provenientia. Adultiora folia fiunt in parte inferiore secus lineam mediam evidenter incrassata; et hæc sæpe petiolo ancipite demum suffulta conspiciantur. Ubicumque et ab utraque pagina frondis fertilis pullulant cæspituli, admodum conspicui, phyllorum fertilium. Phylla sphærosporarum vidi in cæspitulo 3—10, et forsan aliquando plura, singula lineam circiter longa, supra stipitem evidentem in laminam ovato-rotundatam tenue membranaceam expansa; intra marginem sterilem aream fructiferam incrassatam, cellulis magis inordinatis et laxioribus distinctam, in disco gerentia. Sporophylla vere marginalia non vidi, licet intra marginem læsum margini proxima nunc adpareant.

A superficie observata, frons sterilis monstrat cellulas corticales iterata divisione in triades et tetrades subdivisa, ut hoc in *Neuroglosso* quoque obvenit; quam dispositionem (in Ulvaceis sæpe observatam) in Florideis raram putarem. (In sporophyllo *Holmesiæ* et *Neuroglossi* hanc ulterius perductam aliquando vidi; nimirum in medio disco cellulas multo minores in pleiades dispositas observavi, quas demum in Antheridia transeuntes suspicor).

Sectione transversali frondis junioris hanc dicerem duobus stratis contextam, nempe interiore, cellulis majoribus directione paginarum elongatis constituto; et exteriore, corticali, cellulis endochromate colorato farctis, paginas versus magis verticalibus, constante. Quod autem ita stratum interius dixi constat cellulis invicem magnitudine sat diversis. Medium nempe laminæ occupant cellulæ cæteris multo majores, quæ a margine ad marginem dispositæ, unicam seriem constituere videntur. His proximæ sunt cellulæ, eadem directione elongatæ, at duplo fere breviores; et extra has aliæ sunt cellulæ, quarum geminæ proxime interiores cellulas magnitudine circiter æquant. Anteponuntur hoc modo cellulæ geminæ exteriores singulis interioribus. Cellulæ vero omnium serierum magis oblongæ, apicibus juxtapositis contiguæ.

In frondis parte inferiore incrassata, fere costam formante, structura magis composita fit, filis nempe interstitialibus (ni fallor) inter cellulas primarias evolutis. Hæc fila, tenuissima, nunc forma et adspectu non parum referunt ea, quæ foecundationi inservientia descripserunt Thuret et Bornet, et in *Dudresnaja* atque *Polyide* eximiis iconibus illustrarunt; quæ mihi partes systematis cujusdam conductricis testes adparuerunt. In Holmesiæ phyllo caulescente hæc fila densiora sunt in ipsa media parte, quasi axile stratum formantia, extrorsum sensim sparsiora, quasi cellulas primarias circumrepentia.

Sectione transversali phylli sphærosporiferi *nondum maturi* structuram plantæ adultioris forsan adhuc recognoscere liceat, nisi quod in phyllo minuto, adhuc complanato. cellulæ multo minores conspiciantur, et sæpe in filum aut fila attenuantur, quæ demum totum fere interius occupare videntur. Transecto sporophyllo *maturescente*, ambitum hujus vidi ovalem, utrinque marginibus sterilibus parum conspicuis limitatum; mediam partem sporophylli, quasi laxiore textura admodum expansam, fertilem observavi. Cellulæ minutæ, quæ in phyllo adhuc juniore quasi stratum interius, a margine ad marginem expansum, conficiunt, in maturescente sparsissimæ mihi adparuerunt; fila vero conspiciantur numerosiora, alia magis elongata, stratum axile conficiunt, alia extrorsum directa, magis monili-

formia, et subdichotoma fasciculos constituunt quibus sphærosporæ separantur. Extra stratum axile sphærosporæ paginibus adproximatæ, unicam utrinque seriem constituere videntur. Cystocarpia, anguste marginata, structura nuclei cum proximis Generibus conveniunt.

In planta admodum conspicua, fere pedali, typum novi Generis, inter *Botryocarpam* et *Neuroglossum* intermedii, distinguere putavi. Plantam more *Botryocarpæ* foliis compositam, fere dicerem; at folia quoad formam lanceolata, inferne sensim incrassata, quasi costam formantia, more *Neuroglossi;* vix proprie stipitata ut in Botryocarpa. Cellulæ strati interioris intimæ sunt quidem magnæ, vix tamen lacunas Botryocarpæ referentes, nec singulæ cinguntur strato conspicuo cellularum interstitialium. Neuroglossum tum conformatione strati interioris, tum dispositione cellularum corticalium Genus proximum suspicor. Dum vero in Neuroglosso phylla fructifera, secus margines seriata, singula proveniunt, et demum fiunt majora; sporophylla Holmesiæ, modo Botryocarpæ, in cæspitulos per paginas sparsos fasciculatim collecta disponuntur; et omnia minuta, sporophylla propria magis referunt.

Unica species hodie mihi cognita:

1. Holm. capensis *(J. Ag. mscr.)* foliis lanceolatis 4—6 pollicaribus, in inferiore parte demum incrassatis, quasi costatis, adultioribus in lacinias paucas alternas, in nova folia excrescentes, subpinnatifide divisis, aliis a margine læso sæpe proliferis, folia quasi concatenata gerentibus.

   Hab. ad Cap. b. Spei; spec. mihi misit Holmes.

HELMINTHOCLADIACEÆ *J. Ag. Epicr. p. 503.*

Helminthocladia australis *Harv. Phyc. austr. tab. 272; J. Ag. Epicr. p. 506.*

Quum hujus specimina pauca et sterilia, ex Nova Hollandia occidentali orta, hucusque tantum memorata video, addere placet me specimina ex Nova Hollandia australi a Wilson lecta quoque habuisse, et hæc fertilia, cystocarpiis subhemisphæricis quoad structuram omnino congruentibus cum iis, quæ Generi propria l. c. descripsi. Patet ex his plantam quoad habitum cum H. purpurea fere convenire. Aliæ consimiles Helminthocladiæ formæ in plurimis Oceanis obvenire videntur; quæ, si species essent diversæ, characteribus difficillime dignoscantur. Alia vero mihi videtur sequentium ratio:

Helminthocladia Schrammi *Crn. mscr. in Mazé et Schr. Algues de la Guadeloupe p. 177; Murray Alg. of West Indian Reg. p. 11* est mihi species Helminthocladiæ quam maxime dubia. Jam ex habitu et colore sordide virescente dubium videretur eam Florideis revera pertinere. Ex structura, quam vidi, potius *Nemalioni* quam *Helminthocladiæ* comparanda videretur. Stratum interius totum componitur filis, paulo intra periphericum stratum densioribus, in ipso axili centro laxioribus. Fila axilia puto sursum excrescentia; sunt admodum tenuia, cylindracea et longissimis articulis constituta, dichotoma, singula libera, sursum sensim arcuatim peripheriam versus deflexa, et ubi infra-periphericam regionem attingunt, fiunt densius ramosa, et præterea in hac regione densiora adparent quia cum aliis filis tenuioribus, deorsum decurrentibus, commixta obveniant. Quæ sursum excrescunt fila, ut arcuatim peripheriam versus deflectuntur, fiunt præterea evidentius articulata, articulis inferioribus cylindraceis, superioribus oblongis diametro 2—3:plo longioribus, extrorsum demum in stratum frondis exterius abeuntibus. Stratum periphericum frondis componitur fasciculis filorum moniliformium, verticaliter ab axili strato exeuntibus. Fila fasciculorum sunt sat elongata, articulata, clavata et moniliformia, articulis inferioribus longioribus oblongo-cylindraceis, sensim subpyriformibus, extimis rotundatis. Intra fasciculos filorum observare credidi corpuscula oblonga, articulis filorum multo majora, intra fasciculos, ni fallor, singula, quoad naturam cum sporangiis Chordariacearum forsan comparanda [1]). (Sub præparatione speciminis, quod vidi, planta nimium compressa mihi adparuit, ita ut de sporangiorum situ et forma certius judicare non auderem). Si ex iis, quæ de habitu, structura et fructibus(?),

---

[1]) Iis, quibus de affinitate hujus plantæ judicium ferre placeat, meminisse opportet eam esse habitus et structuræ congruentiam inter Helminthocladiaceas *Floridearum* et Chordariaceas quasdam *Fucoidearum*, ut species suo tempore cognitas ad idem Genus Mesogloiæ referre non dubitaverit C. Agardh. Hodie Florideis Algis a Fucoideis probe separatis, me judice cavendum videtur, ne iterum confundantur. Sunt aliæ quoque Familiæ, propria indole affinitatis revera longe diversæ, quæ habitus et structuræ congruentiis admodum vicinæ quibusdam adpareant. Hoc modo *Dictyoteas* quasdam cum quibusdam Rhodomeleis affinitate junctas esse, recentiores quoque statuere voluerunt. Ejusmodi vero congruentias, quoad unum aut alterum characterem obvenientes, ad affinitates veras dijudicandas nihil conferre, multa in Systematologia plantarum exempla sine dubio docent. Phanerogamarum tum *plantæ aquaticæ*, tum *plantæ* sic dictæ *Succulentæ*, singulis et habitus et structuræ characteribus inter se conveniant, quamquam diversissimis pertineant familiis. Hinc statuendum videretur alios esse characteres, ex quibus affinitates dijudicantur, alios autem qui quendam proprium modum vivendi aut crescendi indicant.

Helm. Schrammi comperi, judicium quoddam de affinitate hujus plantæ ferre auderem, nullomodo speciem Helminthocladiæ putarem; nec eam Helminthocladiaceis jure relatam fuisse, crederem; multo potius eam ad Chordariaceas pertinere conjicerem; inter quas Genus proprium inter Endesme et Liebmanniam inserendum, forsan constitueret.

HELMINTHOCLADIA CASSEI *Cru mscr* [1]) *in Mazé et Schr. Algues de la Guadeloupe p. 177; Murray Alg. West Ind. Region p. 11.* nec hæc species Helminthocladiæ mihi videtur. Revera non video quomodo hæc planta a diu cognitis *Trichogleæ* speciebus dignosceretur. Has in omnibus Oceanis obvenire parum dissimiles, conjicerem. Primum descripta *Trichogloea Requienii* est incola maris rubri. Quæ a Harvey denominata fuit *Trichogloea lubrica* ad Friendly Islands lecta fuit; ab hac vix diversa videtur quæ a Loo Choo-Islands sub nomine *Liagora lubrica* distributa fuit; eandemque, ni fallor, habui ex insula Mauritii. Specimina denique plantæ Indiæ occidentalis sub nomine *Helminth. Cassei* hodie venditantur. Quomodo hæ omnes invicem dignoscantur, mihi vix liquet.

HELMINTHORA TUMENS *J. Ag. mscr.* fronde teretiuscula inferne demum crassissima, sursum conspicue attenuata, vage quoquoversum ramosissima, ramis subpinnatim dispositis, majoribus apices versus conspicue attenuatis, filis periphericis brevibus clavatis, articulos terminales fere globosis sustinentibus.

Hab. ad oras australes Novæ Hollandiæ; ex Port Phillip misit Ferd. de Mueller.

Plantæ admodum insignis haud pauca vidi specimina. Adultiora horum mox supra basem conspicue tument, nunc usque digitum minorem crassitie æquantia, incrassata parte per caules principales sursum longius continuata, superne et in ramis apices versus evidentius attenuata; per totam longitudinem ramis ramulisque obsita. Ramuli minores quoque apices versus attenuati. Comparata structura cum *Helm. divaricata*, jam primo intuitu adparet differentia in eo quod fasciculi filorum, quibus constituitur stratum exterius frondis,

---

[1]) Algæ insulæ Guadeloupe, a Cel. Crouan denominatæ, offerunt nomenclaturam sibi omnino propriam, si ex speciminibus mihi a Cel. Mazé benevolentissime datis judicium ferre auderem. Quum in Algis Guadeloupensibus fere nulli dantur characteres Specierum, vix nisi comparatis Speciminibus dijudicatur quænam species sub nominibus datis intelligantur. Obvenit, ni fallor, Algas in Nerei Boreali-Americana jamjam ex Florida descriptas (*Champia Salicornioides*) sub novo nomine militare (*Chylocladia subverticillata*). Algas nonnullas, quas Novæ Hollandiæ privas judicarunt, aliasque species Capenses quoque incolas esse Indiæ occidentalis equidem me dubitare confiteor.

sunt in Europæa planta longiores et magis decompositi, articulis superioribus parum incrassatis et fere oblongis; in H. tumente fila et breviora et sursum magis clavatim incrassata, in articulum supremum fere globosum desinentia.

Ex structura diversa fasciculorum, quibus stratum plantæ exterius constituitur, formam hodie descriptam esse speciem sui juris assumere ausus sum, quamquam specimina juniora vidi frondibus adhuc parum incrassatis instructa, quæ tamen structura fasciculorum conveniant cum incrassatis. Ex altera parte monendum videtur *H. divaricatam* veram quoque ad oras Australiæ obvenire. Specimina hujus ab Europea vix differre jamjam assumsit Harvey.

Tiarophora *J. Ag. mscr. Tab. II. 1.*

(Genus novum, Helminthocladiaceis forsan referendum).

Frons fere heteromorpha, *parte inferiore* carnoso-membranacea, supra stipitem cylindraceum compressa lineari, superne spathulatim dilatata, obsoletius alterne constricta et dilatata, ramis conformibus a margine exeuntibus vage obsita; *parte suprema* molliori spongiolam conico-hemisphaericam, in vertice ramorum terminalem formante; *tota* duplici strato contexta; strato *interiore* filis plurimis sine ordine conspicuo intertextis longitudinaliter excurrentibus; strato *exteriore* filis superficiem versus directis dichotomo-decompositis fasciculatis fastigiatisque, apicibus in *inferiore fronde* densissime juxta-positis, fere in membranam conniveatibus; in *spongiola*, invicem liberis et secedentibus patulis. *Cystocarpia . . . . Sphærosporæ* intra spongiolam evolutæ, in singulis fasciculis subsingulæ, ejusque filis sterilibus stipatæ, magnæ, oblongæ, zonatim divisæ.

Plantam admodum singularem, hucusque, quantum scio, non descriptam, typum novi Generis constituere, mihi adparuit. Obiter inspecta Rhodymeniæ aut Gymnogongri speciem sistere videretur; accuratius examinata vario respectu indolem sibi propriam prodere inveniatur. Planta est circiter 4 pollicaris, supra stipitem tenuem, penna passerina parum crassiorem, sensim fit latior et compressa, singulis ramis subspathulatim dilatatis, majoribus superne (in exsiccata) bis lineam latis. Præcipue in parte latiuscula adultiore adpareat frondem esse alterne constrictam et dilatatam, quasi internodiis superpositis, at obsoletis, exstructam; ipsumque apicem dilatatum constitutum videri una parte superiore, alteraque inferiore, quæ adspectu invicem paulisper differant, quod forsan cuidam indicare suspicaretur, stricturas et expansiones inferioris frondis jam in parte

suprema inchoari. Rami, qui non admodum numerosi adsunt, sunt omnes conformes, alii vix pollicares, alii bipollicares, nunc singuli, raro subopposi a margine provenientes, a parte internodiorum dilatata sæpius, at putarem, exeuntes. Segmentum transversale frondis adultioris monstrat frondem esse compressam, at crassam, aqua adposita cito tumentem, toto interiore filis mucosis, facile secedentibus, occupato, corticali strato quasi proprio fila interiora cohibente. Si vero segmentum magis longitudinale ducitur per partem frondis supremam, insignis adpareat differentia structuræ inter spongiolam, quam dixi, terminalem et partem infra hanc paulo adultiorem; qua differentia vix dubie pendeat apices ramorum in specimine exsiccato chartæ arctissime adhærentes obvenire, dum inferior planta chartæ non admodum firmiter adhæreat.

Fila interiora, quæ in inferiore planta stratum interius frondis amplissimum constituere dixi, duplicis generis mihi adparuerunt; *alia,* quæ primaria puto, sunt crassiora, hic illic dichotoma et evidentius articulata, articulis diametro 4—6:plo longioribus constituta; hæc inferiore sua parte longitudinaliter mediam frondem percurrentia, superne peripheriam versus deflexa et densius ramosa, extrorsum demum abeunt in ramos densius decompositos fasciculatos et fastigiatos, quibus stratum corticale frondis componitur; *alia* filorum interiorum sunt multo tenuiora, vix articulata, non stricta sed vage et inæqualiter curvata; hæc fila tenuiora a filis crassioribus provenientia et deorsum descendentia observare credidi. Fila diversa, quæ hoc modo stratum interius frondis constituunt, sunt densissime intertexta, interiora magis evidenter secus longitudinem excurrentia; exteriora, superficiem versus abeuntia, densius dichotoma articulisque brevioribus instructa, in stratum corticale proprium desinentia.

Differentia structuræ, quæ inter partes inferiores et spongiolam terminalem ramorum adest, jam in planta a facie inspecta conjiciatur; tota nimirum frons inferior extrorsum obtecta videtur quasi cellulis minutis rotundatis, densissime juxtapositis, quæ revera sistunt apices obtusiusculos filorum verticalium, quibus stratum corticale constat. Spongiola vero terminalis adspectum præbet admodum diversum; fasciculi nimirum plurimi, filis tenuissimis, patulis, subdivergentibus et invicem liberis constituti, circumcirca a spongiola patenter radiantes adparent. Sunt hi fasciculi revera rami ramulique extimi, a filis interioribus spongiolæ provenientes, qui arcuatim peripheriam versus deflexi, dichotomo-decompositi evadunt, extimis ramellis tenuioribus patulis et invicem discretis secus totam peripheriam spongiolæ extrorsum radiantes. Cum filis strati corticalis fasciculatis

fastigiatisque plantæ inferioris fasciculi spongiolæ quidem analogi videantur, at adspectu et functionibus certe diversi. In spongiola nimirum et singuli fasciculi invicem discreti, et ramelli, quibus constituuntur, patuli discedunt et invicem liberi; articuli exteriores ramellorum quoque tenuiores, cylindracei et suo diametro circiter triplo longiores. In fasciculis spongiolæ denique sphærosporæ generantur, in singulis fasciculis quantum vidi singulæ, a ramello fasciculi quodam interiore transformatæ, et circumcirca aliis ramellis sterilibus stipatæ, in pedicello terminales, magnæ, oblongæ, zonatim divisæ; ut ramelli steriles fasciculi invicem liberi discedunt, ita et sphærospora inter ramellos stipantes circumcirca libera nascitur.

Ne quis crederet spongiolæ fasciculos obvenire invicem discretos, et ramellos eorum patulos discedere et invicem disjunctos, ob ipsum spatium uberius, quod in spongiola adhuc juniore facilius quis supponeret; fasciculos vero ipsius frondis fieri adproximatos et ramis juxtapositis fere concrescentes ob multiplicationem ramellorum et fasciculorum longius perductam, et crassitiem ramellorum auctam in fronde adultiore, animadvertere placet transitum nullum inter fasciculos utriusque generis mihi adparuisse; sed servatis structuræ differentiis spongiola fructifera supra frondem nascitur; utrum alio tempore, forsan ejectis sphærosporis, fasciculi spongiolæ transmutarentur in fasciculos frondis sterilis, an post dissolutionem totius spongiolæ frons sterilis apice incresceret, mihi saltem non liquet. Ut vero nemathecia obveniunt in haud paucis Florideis sphærosporas foventia, quasi evolutione strati corticalis ulteriore in organa sui juris abeuntia, ita spongiolam puto in Tiarophora sistere partem propriam, ad sphærosporas generandas transmutatam.

Si pars frondis inferior accuratius examinatur, apparent in hac puncta obscuriora fere nigrescentia, plura in lineas aut zonas transversales invicem distantes conjuncta, quæ cystocarpia plantæ constituere facillime putares; referunt revera mirum in modum cystocarpia immersa, qualia in Kallymenia aliisque obveniant. Transversa sectione facta per zonam his instructam, corpuscula vidi rotundato-ellipsoidea, intra fila strati corticalis interiora nidulantia, dura et fere crustacea, superficie quasi granulosa; aliam structuram in his, quoque transverse sectis, observare non contigit. Quum in eodem specimine obveniant una cum spongiolis, sphærosporas generantibus, patet corpuscula dicta nullo modo cystocarpia propria referre. Ut in nonnullis aliis Florideis (*Rhodymenia palmata* cfr *Harv. Phyc. Brit. tab. 217; Halymenia rosacea*) cognitæ sunt deformatio-

nes, quas immo cystocarpia harum plantarum considerarunt, ita quoque in corpusculis his, in Tiarophora observatis, non nisi partes deformatas video. Revera, una cum sphærosporis plurimis optime evolutis, hic illic in spongiola unum aut alterum corpusculum vidi oblongum, in partes quasdam irregulares et minus conspicuas subdivisam, in quo sphærosporam, a stipite fortuito ante maturitatem separatam, facilius conjicerem. Nescio an assumere liceret ejusmodi corpuscula sub certo stadio evolutionis spongiolæ generari posse, quæ monstrosa quadam formatione demum in corpuscula illa, nucleos cystocarpii referentia, deformata fiunt.

De affinitate novi Generis vix liceat suspicionem proferre, ignota adhuc cystocarpiorum structura. Comparata structura ipsius frondis, plantam Helminthocladiaceis referendam esse facilius conjicerem; si vero his Genus pertineret, adparatus spongiolæ et sphærosporæ magnæ zonatim divisæ sat alienæ viderentur. Comparatis sphærosporis, inter fila invicem libera quasi Callithamnioidea obvenientibus, congruentiam quandam cum *Dudresnaja*, haud dico affinitatem, forsan quis conjiceret. Est denique in differentia spongiolæ et ipsius frondis; velut in ipsa forma frondis, quam ab alternantibus diversorum internodiorum evolutionibus forsan quis deducere vellet, peculiare quid, cujus analogum in tota serie Floridearum vix scio [1]), nisi quis hoc respectu comparare vellet partem sterilem et phylla fructifera Thamnocloniorum, vel illam maxime insignem formæ et evolutionis differentiam, quam inter plantam inferiorem et superiorem Galaxauræ marginatæ primus illustravit Harvey *(Phyc. austr. tab. CXXXVI)*. Utcumque vero hoc respectu de planta judicatur, patet, ut putarem, plantam offerre typum Generis proprii et admodum insignis, quod characteribus datis facilius distinctum mihi adparuit.

1. Tiarophora australis *J. Ag. mscr.*

Hab. ad Port Phillip Heads; $^{25}/_{12}$ 1886 a I. Bracebridge Wilson lecta, (sub n:o 4 mihi missa).

---

[1]) Nescio an simile quid in *Scinaia Salicornioide* obveniret. Ad stricturas, in hac Specie obvias, frons adpareat pulvinatim aut cupuliformiter dilatata; in parte vero hac dilatata structuræ differentiam non vidi. Si — missis omnino iis, quæ de alternantibus generationibus spongiolarum et partium sterilium conjicere ausus sum — spongiolam ut fructum quendam nematheciis proxime analogum considerare cuidam placuerit, Genus novum cum Rhodymeniis quibusdam (quæ sectionem propriam Clinophoræ constituant) et Gymnogongri speciebus analogias prodere, facilius adpareat.

CHONDRIEÆ *J. Ag. Epicr. p. 636.*

CLXVIII. Ptilonia *J. Ag. Epicr. p. 673.*

Præter cystocarpia, organa fructifera alia in Ptiloniæ speciebus nondum descripta scio. In Pt. australasica equidem antheridia observavi, fere majora quam in aliis Florideis hucusque vidi; constituuntur phyllis tenuissimis, petiolo conspicuo instructis, obovatis, nunc fere bilobis, quæ segmenta decolorata facile crederes, a margine frondis egredientia. Sectione ejusmodi folioli facta, stratum conspiciatur externum, utramque paginam obtegens, limbum gelatinosum quasi referens. Intra gelatinam hujus limbi quasi apiculi minutissimi verticaliter exeunt, alii apice vix incrassati, quos juniores suspicor, alii obovato-pyriformes, a quibus corpuscula ovalia separari putarem, quæ in gelatina sparsa obveniunt. Cellulas majores steriles, quales in Chondriopside obvenire constat, phylla antheridiorum limitantes, in Ptilonia non vidi.

3. Ptilonia subulifera *(J. Ag. mscr.)* fronde filiformi alterne pinnatim decomposita, inferne caulescente, caule tereti firmiore, pinnis ex tereti compressis a submargine alterne egredientibus, juvenilibus mollioribus submembranaceis a rachide parum longiore pinnulas conformes emittentibus, ambitu subflabellatis; adultioribus in rachide elongata pinnatis, ultimis subfiliformibus, pinnulis simpliciusculis subulatis sparsim obsitis, cystocarpiis globosis adparenter in pedicello tenuiore terminalibus.

Hab. ad oras Novæ Hollandiæ (Wilson!) et Tasmaniæ (Miss Lodder!).

Frons demum videtur 6—8 pollicaris, supra caulem firmiorem teretem, pennam corvinam (in madefacta) crassitie æquantem, superne abiens in ramos plurimos, extimos demum filiformes. Rami inchoari videntur ex tereti compressi, sectionem transversalem monstrantes ovalem, alterne a submargine dense decompositi, pinnis conformibus supra axillam rotundatam erectiusculis, invicem 1—2 lineas distantibus; ob rachidem sub hoc stadio parum longiorem rami juniores fiunt ambitu subflabellati, et molles adparent quasi membranacei; terminales attenuati. In planta adultiore rachides fiunt magis elongatæ, et segmenta adparent pinnatim disposita, suprema filiformia; in his pinnulæ simpliciusculæ sunt acuminatæ, dentes acutos subulatos referentes. In planta inferiore rami et præcipue caulis sensim incrassati fiunt; et in specimine adultiore caulis formatur pluripollicaris, firmitate sub-cartilaginea, forma tereti, et crassitie eminens. Cystocarpia proveniunt in pinnulis superioribus subulatis adparenter terminalia, revera oblique adscendentia, in pedicello elongato tenui subglobosa, aut apiculo vix conspicuo terminata.

Sectione transversali frondis juvenilis ambitus ejusdem videtur ovalis et totum interius cellulis, triplici strato dispositis, occupatum. Cellula centralis media evidenter conspicua adest, vix magnitudine cellulas pericentrales proximas æquans; jam vero hæc cellula centralis

cingitur cellulis interstitialibus minoribus. Cellulæ strati intermedii sunt rotundato-angulatæ; interiores harum magnitudine subæquales; exteriores interioribus paulo minores. Pericentrales proprias 5 numeravi; extra has in lateribus paginalibus pauciores series obveniunt; submargines versus plures series majorum obveniunt. Cellulæ denique corticales fere monostromaticæ (nunc fere duas series diceres), extrorsum complanatæ, introrsum rotundatæ, endochroma coloratum rotundatum continentes. A facie frondis conspectæ, hæ dense juxtapositæ videntur, spatio pellucido (parietis) endochromata separante; nec seriatæ nec alio ordine dispositæ mihi adparuerunt.

In ramo paulo adultiore structuram diceres paulisper mutatam; circa cellulam centralem cellulæ interstitiales magis conspicuæ fiunt; et quoque inter cellulas strati medii cellulæ interstitiales, ipsos angulos inter cellulas vicinas occupantes, pauciores obveniunt. Stratum corticale paulisper incrassatum, cellulis verticaliter superpositis 3—4 contextum vidi.

In caule (ejusdem speciminis) magis incrassato structuram adhuc magis diversam crederes. Cellula centralis adest fere magis conspicua (ob contentum obscurum); et hæc nunc cingitur strato subcontinuo cellularum interstitialium. Cellulæ strati medii, forsan paulisper compressæ, directione margines versus paulisper elongatæ mihi adparuerunt; et omnes cinguntur cellulis interstitialibus, proprium quasi stratum inter primarias cellulas formantibus. Ubi anguli fuerunt inter cellulas primarias fasciculus interstitialium adest. Totum interius frondis diceres inter submargines magis elongatum, ambitum ancipitem offerens; at ob evolutionem strati corticalis, in lateribus paginas frondis spectantibus maxime conspicuam, ambitus caulis exterior fit rotundatus. In lateribus nimirum paginarum stratum corticale obvenit maximopere evolutum; componitur filis verticalibus densissime juxtapositis et invicem concretis, articulatis, articulis plurimis (usque 20 superpositos numeravi) extimis pauló latioribus subrectangularibus, diametro paulo longioribus, endochroma globoso-ellipsoideum foventibus, interioribus (filorum verticalium) articulis paulo angustioribus. In specimine a me examinato fila hæc corticalia duo strata superposita adparuerunt, quasi sub diversis evolutionis stadiis generata.

Sectione facta longitudinali vidi tubum centralem frondis (cellulam centralem) constare articulis cylindraceo-oblongis, suo diametro circiter triplo longioribus. Singulis his anteponuntur geminæ cellulæ superpositæ pericentralium; et singulis majorum cellularum geminæ minorum.

Cystocarpia, quæ in planta exsiccata adparent supra pedicellum elongatum et conspicue tenuiorem terminalia (caput aciculæ referentia), sunt revera ex pagina pedicelli oblique adscendentia, globosa aut carpostomio subprominulo vix conspicue apiculata. Pericarpium tenue componitur cellulis strati corticalis et interioris pauci-seriatis, carpostomium versus paulisper numerosioribus. Introrsum cellulæ pericarpii limitantur filis elongatis articulatis, subhyalinis, a placenta carpostomium versus excurrentibus. Placenta in pagina pedicelli quasi oblique posita et inferne latior cellulis minutis (strati intermedii) parieti adfixa, superne libera, in fasciculum filorum sursum radiantium quasi soluta. Fila hæc a ramis tubi ceatralis adhuc firmioribus, ut mihi adparuit, provenientia, sunt ipsa prælonga articulata, inferne simpliciuscula, superne parce ramosa, ramis singula gemmidia pyriformia terminalia continentibus.

Qualem plantam vidi et supra describere conatus sum, novam speciem Ptiloniæ in ea agnoscere non dubitavi: quæ a diutius cognita Ptil. australasica facilius dignoscatur; adspectu cum specie antarctica revera magis conveniens; ab hac fronde ex tereti compressa aliisque dignoscenda. Præter species congenericas in iisdem regionibus cæterum obvenit spe-

cies Ectoclinii, quæ caute dignoscatur. Hæc revera non tantum habitum subsimilem offert, et cystocarpia fere situ convenientia; sed etiam habet structuram, quæ sub evolutione frondis easdem fere offert mutationes, quas supra indicare conatus sum. Dum vero in Ectoclinio frons, ab initio jam complanata, fit inferne sensim latior et caule crasso complanato demum instructa cernitur; frons Ptiloniæ inchoatur ex tereti compressa, et demum caulem generat pluripollicarem, cylindraceum et validum. Cystocarpia in Ectoclinio, pedicello paulo latiore suffulta, magis ancipitia diceres, in Ptilonia magis globosa in pedicello, ipsis pluries longiore. Quod vero maxime in his plantis diversum puto, id in ipsa structura cystocarpii obvenit: una nimirum Hypneaceis pertinet, altera Chondrieis. In una nucleus globosus constat cellulis rotundato-angulatis, in quibus singulis gemmidia numerosa, a parietibus introrsum porrecta nidulantur; in altera nucleus constat fasciculo filorum tenuissimorum, quorum in articulis supremis gemmidia pyriformia singula generantur.

RHODOMELEÆ *J. Ag. Sp. Alg. II. 3 p. 787.*

Chondriopsis *J. Ag. l. c. et Bidr. Alg. Syst. IV. p. 89.*

Loco supra citato species quasdam Chondriopsidis novas describens et inter has unam sub nomine *Ch. foliiferæ*, quæ fronde ex ancipite plana disticha pinnata et pinnis a margine aut intra marginem exeuntibus dignosceretur, de hac monui eam propriam quandam sectionem Generis constituere. Hujus sectionis hodie alteram Speciem describere in animo est, quæ diagnosi sequente a prius descripta facilius distincta mihi adparuit:

CHONDRIOPSIS OVALIFOLIA *J. Ag. mscr.* frondis ex ancipite-complanatæ ramis conformibus subvage a margine aut intra marginem exeuntibus, nunc sparsioribus alternis aut suboppositis, nunc pluribus juxta basem primariorum provenientibus, minoribus ovalibus, majoribus ovali-oblongis, omnibus obtusissimis, basi fere in petiolum proprium constrictis, cellulis corticalibus subrotundato-oblongis.

Hab. ad Port Phillip Heads, Novæ Hollandiæ australis; sub n:o 20 a J. Br. Wilson mihi missa.

Species mihi videtur admodum distincta, adspectu fere *Chrysymeniam roseam Harv. Phyc. Br. tab. 301* referens, ramentis autem magis obtusis et compositis instructa, magis purpurea, et aliam omnino structuram offerens. Rachides primariæ adscendentes videntur, longitudine 2—3 pollicares, et lineam circiter latæ, forma lineares, nisi, ubi proveniunt ramuli, nunc obsoletius constrictæ, et ad stricturas pinnis conformibus, nunc singulis nunc geminis suboppositis, nunc paucis ad basem primariorum evolutis subfasciculatis instructæ. Pinnæ adultiores, vix pollicem longitudine æquantes, sunt magis oblongæ, nunc obsoletius

constrictæ; juniores fere æque latæ, at duplo breviores, omnes obtusissimæ et basi fere in petiolum proprium constrictæ. Frons transversaliter secta probat eam esse fere planam, at in media linea paulo crassiorem, marginibus attenuatis; cellulis plurimis contextam, quarum interiores majores videntur, pluribus seriebus margines versus dispositæ, extimis minoribus. Si contigerit observare bene ductam sectionem juvenilis ramuli, adpareat siphones pericentrales esse 5, circa centralem minorem dispositas. In fronde adultiore hæc structura difficilius conspicua fit. Cellulæ exteriores, a facie frondis visæ, rotundato-oblongæ aut paulisper angulatæ obveniunt.

In partibus adultioribus puncta obscuriora mihi adparuerunt, quæ, sectione facta, incauto facilius cystocarpia viderentur. Juniora intra frondem immersa vidi, nucleo rotundato aut transverse oblongo, cellulis minutis plurimis, extrorsum subprominulis arcte cohærentibus constituta; nusquam autem nucleum cystocarpii consimilem me in Florideis observasse, memini. Alio autem loco plantæ nucleum istum verticaliter paulisper elongatum, at summo apice extra frondem eminentem vidi; denique ejusdem transitum in folium juvenile prolificans observare quoque contigit. Frondes prolificantes eodem modo in aliis Florideis intra frondem generari, me aliquando observasse, putarem.

Chondriopsis bulbosa *(Harv.) J. Ag.*

Inter plantas jamdudum descriptas Australiæ, quas hodiedum parum cognitas et vario respectu dubias considerare opportet, est quoque illa in *Fl. Tasmaniæ II. p. 207* a Harvey enumerata *Chondria bulbosa*. Pauca specimina hujus in Herbario quodam Australiæ conservata, parum completa et adhuc sterilia, ramulis *secundariis* ad modum Chondriopsidis a basi admodum attenuata sensim cylindraceis, ramis vero *primariis* ima basi incrassato-bulbosis præcipue dignoscenda, deprehenderat Harvey. In Synopsi specierum, quam Phycologiæ Australi adjecit, novam speciem in sectione Generis, ramis fusiformibus distincta, ante *Chondr. rubram* enumeravit. Quum postea ipse *Ch. rubram* ut typum novi Generis, Rhododactylis, proposuissem, quod Hypneaceis referre auderem, *Chondriam bulbosam* ad hoc quoque referendam esse assumsi. Hoc injuria factum fuisse hodie dicere opportet, postquam specimina magis completa et fructifera accuratius examinare licuerit.

Præter habitus quandam congruentiam, tum colore coccineo indicatam, tum in eo quod rami inferiores incrassati fiunt, supremis admodum attenuatis et facile ut videtur abruptis, quoque structura invicem convenire mihi videbantur *Rhododactylis rubra* et *Chondria bulbosa*. Dum vero in Rhododactyli nucleum cystocarpii quoad structuram Hypneæ potissimum convenientem observavarem, in Chondria rubra contra Keramidium hodie video, vix ullo respectu a cystocarpio

Chondriopsidis diversum. Dum vero in aliis Chondriopsidis speciebus frons inferior vix insigniter incrassata conspiciatur, in *Ch. bulbosa* rami majores et præcipue inferiores ad imam basem fusiformiter incrassati fiunt, modo admodum conspicuo. Hoc charactere igitur *Ch. bulbosa* ab aliis speciebus Chondriopsidis facile distincta manet.

Planta superior a facie observata fere articulata adparet, articulis diametrum circiter æquantibus, parte media articuli adparenter dilutius colorata, geniculis obscurioribus, quasi duplici serie macularum fasciatis. Partes superiores (plantæ junioris) hoc modo adspectum præbent variegatum, Ceramium quoddam oculo inarmato fere referentes. Sectione facta longitudinali adparet articulos constare tum exterioribus cellulis brevioribus, tum interioribus, invicem æque longis, sua longitudine diametrum frondis æquantibus. Hæ cellulæ, quæ siphones pericentrales plantæ constituunt, sunt utroque apice subexpanso obtusiusculæ, et ob endochroma in his apicibus coacervatum singula genicula quasi duplici serie (apicibus superioribus inferioris articuli, et inferioribus superioris articuli) macularum fasciata adpareant. Quæ extra siphones pericentrales obveniunt cellulæ sunt interioribus breviores, binis exterioribus longitudinem interiorum circiter æquantibus. Cellulæ corticales a facie visæ oblongæ adparent, series longitudinales formantes. Sectione facta transversali pericentrales siphones circa axilem 5 videre credidi; extra has, et cum interioribus alternantes, cellulas minores; ipsas corticales rotundato-angulatas vidi. Tota planta quasi strato hyalino mucoso obtegitur.

Endochroma jam in cellulis corticalibus quasi in fila longitudinalia, subalterne contracta et dilatata, cohærere mihi adparuit; in cellulis interioribus hæc fila multiplicantur, anastomosibus conjunguntur, et secus parietes cellularum excurrentia, poris parietem permeantibus cum illis vicinæ cellulæ conjuncta, transitum parant inter cellulas vicinas, modo quo conformem structuram in Callophyllide describere conatus sum (Morph. Floridear. pag. 69).

Ad partem superiorem ramorum, qualem eam supra describere conatus sum, Cystocarpia lateralia proveniunt, pedicello brevissimo oblique a ramulo exeunte adfixa, globoso-ovata, juniora apiculo minuto superata, adulta quasi apice depresso emarginata, carpostomio terminali aperta, intra pericarpium subpellucidum gemmidia magna et admodum conspicua foventia. Pericarpium tenue est contextum cellulis rotundato-oblongis, cellulas corticales frondis referentibus, at minoribus. Placenta supra basem obliquam cystocarpii subtransverse expansa, ab

inferiore sua parte fila pauca, nucleum ambientia, quasi ad carpostomium conductricia, a *superiore* fasciculum gemmidiorum emittens. Gemmidia valida, eximie pyriformia, invicem libera et singula carpostomium versus adscendentia, adultiora pedicello longiore suffulta, suo vertice carpostomium fere attingentia, juniora et magis lateralia breviora, omnia conjunctim quasi a placenta sursum radiantia.

Alia specimina (sterilia) firmiora vidi, purpurascentia et adspectum articulatum vix offerentia; quæ utrum demum sphærosporifera fierent, an antea cystocarpiis instructa fuerint, peractis autem fructificationis vicibus partem superam plantæ mutantia, dicere non auderem. Ramulos superiores vidi in his formam induere, qualem cum aliis speciebus Chondriopsidis magis congruentem considerare consuevimus. Ramelli majores nimirum utrinque attenuati, nunc usque pollicares obveniunt, aliis brevioribus. Si sub lente parum augente observantur, supra apicem obtusiusculum quasi apiculo brevi tenuiore superati adpareant, in quo adspectum articulatum, quem supra ramulis junioribus adscripsi, indicatum crederes — si quoque obscurius. Hinc finxi duplicem esse adspectum plantæ; alio tempore plantam obvenire magis purpuream et firmiorem, alias Chondriopsidis species magis referentem; alio tempore, novis ramis ex apice priorum excrescentibus, eam assumere adspectum illum variegatum et articulatum, quem in planta cystocarpiis instructa supra descripsi. In utraque forma rami primarii infimi sunt inferne fusiformiter incrassati, quibus planta facilius recognoscatur.

Ramorum basem imam fusiformiter incrassatam, quam nomine dato indicare voluit Harvey, me tantum vidisse in ramis caulinis infimis et radici proximis, animadvertere placet. Dum paulo superiores rami pennam passerinam circiter crassitie æquant et quasi membranacea textura sunt instructi; pars fusiformiter incrassata multiplo crassior evadit, nunc usque pollicaris longitudine, at sæpius brevior, atque consistentia carnoso — dura constituta, plus minus heterogenea obvenit. Ex tuberosa parte rami pauci quoque proveniunt; dum hi rami adhuc juniores sunt, ad imam basem vix conspicue incrassati obveniant; prout vero adultiores fiunt, basis eorum carnoso-incrassata sursum procedit longior, novum tuber formatura. In planta adultiore igitur plura ramorum infimorum tubera primario superposita adpareant, isthmo tenuiore sejuncta, singula fusiformia et ramorum ad instar apicibus divergentia.

Ut nonnullis speciebus Chondriopsidis adparatus radicalis, ramis prostratis ramosissimis constitutus, insignem præbet characterem, ita *Chondr. bulbosa* tuberibus ramorum principalium forsan typum indicat sibi proprium. Nescio an assumere liceret tubera hujus radicalia persistere perennantia, tota parte superiore plantæ annuæ demum dissoluta.

CHONDRIOPSIS BULBOSA *(J. Ag.) Chondria bulbosa Harv. Fl. Tasm. II. p. 207; Rhododactylis bulbosa J. Ag. Epicr. p. 568.*

Ad oras Tasmaniæ lecta (in Herb. Oldfield); ad ostia Tamar (Miss Oakden!).

ALSIDIUM? COMOSUM *Harv. Phyc. austr. Vol. V. tab. CCLXX. Tab. nostr. II. 2.*

Inter plantas minus cognitas Novæ Hollandiæ hæc mihi numeranda videtur; unicum enim ejusdem specimen se vidisse expressis verbis dixit Harvey, quod, ex "*the* Vasse" Australiæ occidentalis a D:na Brown lectum, data icone *(Phyc. austr. tab. 270)* illustravit. Hoc ramum juvenilem et sterilem tantum sistere, hodie patet; plantam esse majorem, inferne haud articulatam, superne filis tenuibus articulatis comosam; sectione facta transversali axem articulatum in interiore parum conspicuum esse; cellulasque interiores rotundatas et fere omnes conformes, centrali vix ab aliis diversa, ex icone et descriptione concludere liceat. Hæc fere sunt, quæ hucusque de planta novimus. Ob fila rosea articulata, quæ plantam inarticulatam superne comosam reddunt, modo diceres Dasyæ, plantam Rhodomeleis adnumeratam fuisse crederes; ob axem vero parum conspicuum Alsidio adproximatam fuisse, ipse statuit.

Ex diversis locis Novæ Hollandiæ (Port Phillip, Adelaide, Eucla) postea plura specimina vidi, quæ ad plantam Harveyanam pertinere confido, quamquam vario respectu diversa. Eandem enim sub diversis evolutionis stadiis alios offerre adspectus, et quidem ita dissimiles, ut in his vix eandem plantam agnoscere velles, ex nostris concludere ausus sum. Plantam nimirum sub uno stadio (maxime juvenili) comosam vidi; sub adultiore frondem pluripedalem, filis articulatis omnino destitutam, at spinulis armatam; sub senili denique ramis ramulisque fere deperditis denudatam, ramos fere Gracilariam quandam referentes gerentem, aut plurimis horum quoque quasi articulatione solutis, caule crasso carnoso præditam vidi. Quamquam singula hæc evolutionis stadia accuratius

examinavi, neque cystocarpia, neque sphærosporas invenire mihi contigit; antheridia tamen observavi, quibus plantam jure Rhodomeleis relatam fuisse, forsan patet.

In planta, cujus stadium quam maxime juvenile vidi, ramuli juniores sunt a basi paulisper crassiore attenuati, articulati et polysiphonei, articulis diametrum circiter æquantibus, siphonibus pericentralibus 4 (ut mihi adparuit); ab articulis superioribus exeunt pili singuli rosei articulati, monosiphonei, ima basi constituti articulis 3—4 brevibus, longitudine articulorum diametrum parum superante, dein articulis omnibus sequentibus prælongis, diametro 6—8:plo longioribus; pili simplices aut parce dichotomi. Ob articulos ramuli polysiphonei superiores superne brevissimos, pili rosei apice quasi fasciculos efficiunt, quales fere a Harvey pictos videas. Pilis sensim deciduis, ramuli (initio piliferi) sensim denudati obveniunt, initio emarginatura vix conspicua locum pili indicante; mox vero ipsis articulis rami polysiphonei corticatis, ramuli fiunt inferne denudati, superne tantum piliferi, aut postea toti omnino denudati adpareant. Evolutione strati corticalis ramuli a basi conica subito attenuantur in apicem articulatum; coma dejecta hi apices persistunt sub forma ramelli subulati, — fere diceres eadem mutatione adspectus, quem in *Desmarestia aculeata* obvenire novimus [1]). Ra-

[1]) Magna revera est evolutionis congruentia inter *Alsidium comosum*, qualem hanc novi, et *Desmarestiam aculeatam*. In utraque planta uno tempore habemus stadium, sub quo tota planta superior pilis mollissimis obtecta videtur; sub alio tempore vero utriusque frons obvenit pilis denudata, at spinulis rigidiusculis acutis armata. Ut in supra data descriptione *Alsidii* demonstrare conatus sum, rachidem, ex qua proveniunt pili, esse articulatam et polysiphoneam, articulos esse brevissimos, et singulos pilum elongatum gerentes, cujus articuli infimi sunt breves et globosi, superiores autem elongati; ita in *Desmarestia aculeata* rachides juveniles, a quibus fasciculi pilorum proveniunt, sunt brevissime articulatæ, nunc singulos, nunc geminos pilos oppositos ab articulo fere quoque emittentes. Articuli piliferi *Desmarestiæ* sunt suo diametro fere duplo breviores, et ipsi pili inchoantur articulis brevioribus, dum omnes articuli superiores sunt elongati et monosiphonei. Inter fasciculos vero pilorum Desmarestiæ obvenit differentia, probe observanda. Ex fasciculis lateralibus ramorum ramulorumque alii fere usque ad basem tenues manent et monosiphonei; et hi fiunt mox caduci atque in planta adultiore vix conspiciantur horum cicatrices; alii fasciculi fiunt sensim ad imam basem incrassati, articulis basalibus sensim polysiphoneis, longitudine diametrum vix æquantibus instructi, et denique a basi sursum strato corticali obducti, apice initio piliferi, demum pilis dejectis et in acumen desinentes, aculeos constituunt laterales, quibus planta adultior armata fit. Eadem, me judice, est crescendi ratio in rachidibus ramorum terminalibus, nisi quod hæ continuata evolutione excrescere pergunt. Dum in inferiore parte sunt corticatæ et continuæ adparent, rachides juveniles sunt articulatæ, articulis brevissimis singulos aut geminos pilos, breviter articulatos emittentibus instructæ, apice desi-

muli coma terminali adhuc instructi, at paulo longiores, nunc ad imam basem paulisper contracti adpareant.

Ubicunque ramulum adultiorem aut ramum a superficie observavi, stratum corticale contextum vidi cellulis plurimis, cylindraceo-oblongis, secus longitudinem plantæ quasi in lineas flexuosas elongatas conjunctis; corticales cellulæ superiores et juniores ramorum ramulorumque breviores; inferiores longiores, endochromatibus diametro 3-plo quadruplo longioribus; quod quidem in omnibus a me observatis obvenire videtur.

Sectione facta transversali ramelli junioris, cellulam centralem evidentissimam vidi, et hanc pericentralibus 6 fere æque magnis cinctam; extra siphones pericentrales cellulas corticales, submonostromatica serie dispositas — has cellulas corticales a superficie observatas, suo diametro vix longiores vidi. (Stadium antecedens, sub quo pericentrales siphones tantum 4, et hos nudos a superficie vidi, sectione transversali observare non contigit). — In ramulo paulo adultiore transecto siphonem centralem adhuc sat conspicuum, et magnitudine fere pericentrales superantem vidi; omnes vero has circumcirca cinctas cellulis minoribus, evolutione ni fallor cellularum interstitialium ortis; in rachidibus denique ramo-

---

nentes in pilum aut si mavis fasciculum pilorum, qualem mox descripsi at plerumque magis decompositum. Prout rachidis inferior pars fit corticata, superior pilifera transmutatur; articuli infimi pilorum subdividuntur modo fere dicerem, quo ramelli monosiphonei, longis articulis instructi, Dasyæ cujusdam in stichidium breviter articulatum et polysiphoneum transmutantur. In spatio inter rachidis partem supremam, breviter articulatam, et infimam partem pili, longis articulis instructi, dignoscere licet (sub certo stadio) articulos nonnullos, qui sunt quoad longitudinem intermedii inter duplo breviores rachidis et duplo longiores pilorum. Sunt quoque illis angustiores, his crassiores. Ejusmodi articulos nova divisione transversali in articulos breves rachidis propriæ sensim abire, nullis dubiis vacare, mihi videtur. Ut igitur partes diversæ Desmarestiæ mihi adparuerunt, hæ ad totam compagem frondis exstruendam ita conferunt, ut una aut altera parte deficiente totius plantæ idæa quoque tolleretur.

Mihi, ita judicanti, non latuit nonnullos recentiorum idæam sat diversam de evolutionis norma Desmarestiæ concepisse. Prætermisso nexu intimo et necessario pilorum cum evolutionis norma totius plantæ, assumere videntur pilos in Desmarestia formari ut his augeantur assimilationis organa. Lyngbyeus quin immo totum adparatum pilorum plantam propriam (*Ectocarpi* speciem) constituere credidit. In ultimo, quem vidi, de structura anatomica *Desmarestiæ aculeatæ* tractatu partem pili depinxit *Edla Soderström*, cellula truncata terminatam, et punctum vegetationis ad basem hujus pili situm indicavit. Si superiorem partem ejusmodi pili quoque depinxerit, facilius forsan concipere licuerit, quomodo pili terminalis pars inferior in rachidem excrescentem sensim sensimque transiret. Pili infantiles sine dubio formantur articulis brevissimis; articulos vero superiores pilorum esse prolongatos, me judice, neutiquam probat hos articulos elongatos esse primum generatos, et infimos articulos esse ultimos, basipetali evolutione ortos.

rum, fere pennam corvinam crassis, cellulæ primariæ et interstitiales ita densæ et ita mixtæ, ut omnes fere conformes adpareant; ex his ægre structuram rite concipere liceat. — Sub hoc fere stadio a Harvey dissectam fuisse diceres.

Sub stadio quodam certo frondis adultioris obveniunt in axilla spinularum quasi agglomerationes minutæ, quæ oculo inarmato fere tantum puncta obscuriora referunt. Sunt vero hæc primordia ramellorum minutissimorum, quæ dein paulisper elongantur in fasciculos minutos, quos vero sua longitudine diametrum rami, in quo insident, haud æquantes vidi. Hæc fila axillaria, in fasciculum collecta, sub microscopio monstrant structuram Polysiphoniæ cujusdam; singula fila sunt fere simplicia, inferne nuda, aut forsan cicatriculis (partium delapsarum) lateralibus prædita, superne obsita antheridiis quoquoversum exeuntibus, siliquæformibus, fere pinnatim dispositis. Singula antheridia insident filo monosiphoneo, paucis articulis (2) prædito, et terminantur ejusdem apice, pluribus articulis constituto; inter basem et apicem hujus fili antheridium ipsum siliquæforme ovato-cylindraceum adest, suo diametro circiter 3-plo longius, quasi axi permeante et verticillis ramellorum cincto, contextum.

De planta, quam Alsidium comosum senile sistere putavi, sequentia addere placet. — Pars inferior plantæ, colore fere corallino suffusa, constat trunco digitum minorem crasso polydactyli, altitudine 1—2 pollicari, inferne in radices crassiusculas sub-digitatim ramosas abeunte, sursum quasi fasciculos ramorum, a trunco erectiusculos emittente. Singuli hi ramorum fasciculi, pennam scriptoriam et ultra crassi, ramorum basibus incrassatis, $^1/_2$—1 pollicem longis, circumcirca positis constituti; aliis nimirum ramis paulo supra basem abruptis (ramos quasi articulatione separatos fere crederes), aliis a conica parte basali in partem superiorem simpliciusculam et fere Gracilariam referentem, prolongatis; ramos hos vidi inferne pennam columbinam crassitie æquantes, sensim tenuiores, superne ramulis sparsissimis parum conspicue virgatos. Hi ramuli, sub microscopio observati, obsiti adpareant ramellis minutis pellucidis brevissimis monosiphoneis et articulatis, articulis diametro æqualibus, quos reliquias filorum plantæ comosæ sistere suspicatus sum.

In hac planta senili puncta nunc adsunt obscuriora numerosa, per plantam superiorem sparsa, plurima infra stratum corticale immersa, alia vero etiam inter cellulas interiores sparsa observavi, quæ facilius quispiam sphærosporas plantæ crederet. Mihi frustra divisionem quandam, qualem sphærosporarum normalem novimus, quærenti, et positionem horum etiam inter cellulas frondis interioris

observanti, certum adparuit, haud sphærosporas esse; sed potius cellulas endochromate farctas et cum iis, quæ *paraspermatia* nominavit Kützing, forsan comparandas esse putarem.

Alios fructus normales hujus plantæ frustra quæsivi. Fructibus itaque hucusque ignotis, vanum esse de affinitatibus dicere; facilius concederem. Attamen antheridia, quæ supra describere conatus sum, typum referre, quem hucusque fere tantum inter Rhodomeleas obvenire novimus, animadvertere placet; et hoc modo opinionem de affinitate plantæ, jam a Harvey enuntiatam, corroboratam videri; quibusnam vero inter Rhodomeleas plantam singularem proximam considerandam esse, de hoc præmaturum puto judicare, ignotis sphærosporis, quas in aliis Rhodomeleis alio modo dispositas esse, novimus.

CXXXVII/1. Lophothalia *Gen. Nov. J. Ag. mscr.*

Lophothalia (Subgenus Dasyæ) Harvey; Lophothalia et Lophocladia (Subgener. Dasyæ) J. Ag.; Polysiphoniæ et Dasyæ Sp. Auctor.

Frons teretiuscula polysiphonea, siphonibus 4, 5, 7 aut 8 circa centralem in orbem dispositis æque longis contexta, nunc nudis articulata, nunc cortice obductis continua, ramis aut tota fronde longius deorsum ramellosis, ramellis coloratis monosiphoneis. *Cystocarpia* ovato-subglobosa, intra pericarpium cellulosum, carpostomio apertum, gemmidia pyriformia in articulo terminali filorum, a placenta basali radiantium, foventia. *Stichidia* a rachide ramuli monosiphonei aut polysiphonei plus minus transformata, sæpe ramellorum residuis obsita, in articulis sphærosporas singulas aut paucas, subspirali ordine superpositas et seorsim sæpe prominulas, triangule divisas, foventia.

Species, quæ hoc loco in Genus proprium colliguntur, antea tum ad Polysiphoniam, tum ad Dasyam relatæ fuerunt. Habitu Dasyas referunt, velut structura frondis — fronde nempe articulata et polysiphonea ramulis monosiphoneis coloratis plus minus dense vestita. Ex iis, quas ad Polysiphoniam antea retulerunt, una *(D. australis Ag.* seu *D. cladostephus Mont.)* melius certe cum Speciebus Dasyæ quam cum Polysiphoniis habitu convenit; alteram *(Pol. byssoides)* inter Polysiphonias disposuerunt antea quam Genus Dasyæ creatum fuerat.

Structura Stichidiorum comparata, patet species Lophothaliæ multo magis cum Speciebus Polysiphoniæ convenire, quam cum iis, quæ Dasyæ Generi typicæ considerandæ sunt. Stichidia nimirum Dasyæ, intra singulos articulos sphærosporas numerosas in verticillos regulares conjunctas foventia, a plurimis aliis Generibus Rhodomelearum hoc charactere admodum diversa censeantur; dum in Speciebus quas ad Lophothaliam refero, velut in Polysiphoniis, sphærosporæ in singulis articulis singulæ aut paucæ generantur, et singulæ per se proeminentes in alias directiones, demum adparent in stichidio elongato quasi spirali ordine adscendente dispositæ. Ramuli sphærosporiferi in Lophothalia et Polysiphonia a ramulis sterilibus minus diversi quoque obveniant et sæpe vix nisi præsentia sphærosporarum diversi; in Dasya, contra, organa referunt sui juris, magis transmutata et structura peculiari instructa.

Si vero species Lophothaliæ a speciebus, quæ Dasyæ structuram normalem offerunt, structura indicata stichidiorum facilius dignoscantur, eo difficilius fit charactere certo statuere, quomodo a speciebus Polysiphoniæ differant. Sunt nimirum species Polysiphoniæ, in quibus apices ramellorum filis monosiphoneis, si quoque paucioribus, comosi adpareant. Hæc vero fila endochromate parum conspicuo colorata, vix nisi in ipso apice increscente permanent vegeta; et citius, ut videtur, dejecta, in adultioribus partibus fere semper desiderantur. Aliter in Lophothaliis, quorum rami et sæpe totæ frondes adparatu insigni ramellorum obteguntur. Ramellis ejusmodi monosiphoneis inchoantur ramuli, velut a ramulis excrescentibus fiunt rami; demum vero, perfunctis functionibus, sub certo stadio ramellos dejectos fieri, frondesque denudatas saltem in nonnullis obvenire, certius constat. Hinc totum hunc adparatum in Dasya velut in Lophothalia aliis functionibus quam in speciebus Polysiphoniæ perfungi, forsan assumere liceat. Præterea animadvertere opportet sphærosporas in Polysiphoneis semper, ni fallor, in ramellis ultimi ordinis generari. In Lophothalia, contra, sunt *rachides* ramorum ramulorumve, quæ in stichidia transmutantur. Hinc stichidia novis stichidiis ramosa in nonnullis Lophothaliis observare licet, et fere in omnibus rachides transmutatæ ramulorum ramellis persistentibus, aut eorum residuis obsitæ permaneant.

Differentias ab aliis speciebus Dasyæ, quas in structura Stichidii offerunt Lophothaliæ, jam Harvey indicavit; quin immo de constituto Sub-genere Lophothaliæ quæritur, *(Nereis Austr. p. 58)* anne Genus proprium constitueret. Ipse (in *Spec. Alg. p. 1174)* de Dasya scribens, ulterius has Sub-generum diversi-

tates exhibui; et indicata differentia, quam inter species Lophothaliæ obtinere putabam, duo diversa sub-Genera illis institui: *Lophothaliam* et *Lophocladiam*, quæ formationis modo Stichidiorum diversa finxi. Dum enim in Lophothaliis propriis stichidium a rachide ramorum ramulorumve polysiphonea et parum transmutata formatur; stichidia, contra, in Lophocladia a ramulo monosiphoneo, et quasi magis transformato, oriuntur. Hanc differentiam rite indicatam fuisse, hodie equidem agnosco; at species utriusque sub-Generis, utpote et invicem proximas, et eodem fere modo a typicis Speciebus Dasyæ abludentes, in Genus proprium colligendas credidi. Sunt nimirum inter ipsas eas species, quas ad Lophocladiam retuli, variæ diversitates, quæ quasi inter utrumque sub-Genus transitus parant. Ita, dum in nonnullis Lophocladiis stichidia ramellis denudata obveniunt, sunt aliæ in quibus stichidia ramellis aut eorum residuis instructa permanent. In nonnullis stichidia a ramulo monosiphoneo vix nisi præsentia sphærosporarum diversa crederes; ob rachidem horum parum incrassatam sphærosporæ ipsæ permagnæ adparent, et in articulis diversis aliorsum intumescentes stichidium reddunt toruloso-distortum. In aliis illa pars rachidis, quæ in stichidium transformatur, jam ab initio magis crassitie increscit; articuli mox fiunt polysiphonei (articulis brevissimis) et stichidia oriuntur quasi cellulosa; quia sphærosporæ in singulis articulis paucæ evolvuntur, stichidia siliculas minores et parum torulosas referunt.

In paucis illis Lophothaliæ Speciebus, in quibus cystocarpia examinare mihi licuit, hæc vidi quoad formam pericarpii et structuram nuclei magis cum Polysiphonia, quam cum propriis speciebus Dasyæ congruentia. Pericarpia nimirum minora ovata aut globosa, ore vix protracto; et nucleum basalem, fasciculo gemmidiorum pyriformium constitutum observavi. Dum vero in paucis speciebus cystocarpia tantum cognita sunt, ejusmodi differentiis certum distinctionis characterem Genericum condere hodie vix auderem.

Quod attinet limites Generis novi, dicere fas est me in plurimis speciebus stichidia, qualia Generi characteristica censeo, observasse. Paucæ tamen permanent species, quarum stichidia non vidi, quod de his speciatim animadvertere debui.

In disponendis Lophothaliæ speciebus, præcipue usus sum characteribus, a stichidiorum structura desumptis. Quod attinet numerum siphonum pericentralium dicere fas est, errores de numero horum facilius obvenire posse, ubicunque sectione rachidis corticatæ structura observatur.

His præmissis sequenti modo species Generis disponere conatus sum.

Sub-Genus I. Rhodolophia *fronde subecorticata aut cortice obducta, ad apices ramorum ramulorumve sphærosporifera; stichidiis nempe a rachide polysiphonea eorundem parum transmutata formatis, ramellosque monosiphoneos circumcirca persistentes gerentibus, sphærosporas in singulis articulis paucas* (1—2) *foventibus.*

φ. Stichidiis a rachidis parte superiore ramorum ramulorumve formatis.

† Siphonibus pericentralibus (sat constanter) 7.

** Fronde fere tota ecorticata.*

1. L. Solierii *(J. Ag. Alg. Med.); Polysiphonia Solierii J. Ag. Sp. Alg. p. 1042.* In mari mediterraneo.

2. L. Byssoides *(Good. et Woodw.); Polysiph. Byssoides J. Ag. Sp. p. 1042; Harv. Phyc. Brit. tab. 284; P. Dillwynii Kütz. Tab. Phyc. Vol. XIV. tab. 23; P. byssacea Kütz. l. c. tab. 24; P. vaga Kütz. l. c. tab. 24; P. asperula Kütz. l. c. tab. 25; P. Bangii Kütz. l. c. tab. 25.*

   In oceano atlantico.

Utrum formæ, quæ ex mari Adriatico ad hanc Speciem a *Hauck l. c. p. 238* referuntur, *(P. Dasyæformis Zanard. Icon. Adriat. tab. 23: Kütz. Tab. Phyc. Vol. XIV tab. 23)* revera cum specie atlantica conveniant, an ad antecedentem pertineant, mihi latet. Specimina adriatica nulla vidi.

3. L. australis *(Ag. Syst.) Polys. australis C. Ag. J. Ag. Sp. p. 1044; Polys. cladostephus Mont.; Harv. Phyc. austr. tab. CLIV; Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV tab. 19.*

   Ad oras Novæ Hollandiæ, Tasmaniæ et Novæ Zelandiæ.

Stichidia a rachidibus ramulorum vix transmutatis, ramellisque monosiphoneis obsitis formata, eximie flexuosa, ad angulos prominulos sphærosporas sub-singulas generantibus. Fronde ecorticata ab aliis speciebus congenericis Australiæ facilius dignoscatur. Exsiccatione magis nigrescit quam plurimæ aliæ.

*** Fronde sursum longius corticata.*

4. L. hormoclados *(J. Ag.) Dasya hormoclados J. Ag. Sp. Alg. p. 1188; Harv. Ner. Austr. tab. XXVI.* (nec postea).

   Ad Tasmaniam et Novam Hollandiam australem.

Est species inter majores, quas ad Dasyas retulerunt. Frondes vidi pedales et ultra, rachidibus vetustis pennam corvinam crassitie æquantibus; ex his pullulant rami minores, rachidibus inferne denudatis, apice plumosis instructi. Cystocarpia vidi ovata, in ramulo polysiphoneo breviore erectiuscula; pericarpium cellulosum, cellulis brevioribus in lineas carpostomium versus adscendentes fere seriatis. Nucleus gemmidiis pyriformibus constitutus vix dimidiam altitudinem cystocarpii attingit. Stichidia a rachide ramulorum minorum transmutata, gerunt ramellos monosiphoneos rigidiusculos et patentes, circumcirca a stichidio egredientes; in singulis articulis vidi sphærosporas 1—2 permagnas toruloso-prominulas. Ramelli a basi crassiore attenuati fere acuminati, rigidiusculi et patentes.

Species Algarum scribens jam monui nostram *D. hormoclados* cum Harveyana *D. Ceramioide* haud identicam esse. Ipse Harvey quoque initio utramque plantam (in *Ner. Austr. tab. XXVI.*) rite distinxit; et unam ab altera pluribus diversam esse dixit; postea vero specimina ex Australia allata distribuens, utramque ita confudit, ut quæ nomine D. hormoclados distributa fuit (in collectione quam ipse habui) meram D. Ceramioidem sisteret. In Synopsi, Phycologiæ australi adjecta, utraque species conjungitur. Quæ antea harum specierum datæ fuerunt diagnoses, hæ differentiis ex habitu deductis nimium revera nituntur. Præter has vero in fructibus obveniunt aliæ, quæ evidentissime quidem demonstrant has species ad Genera diversa pertinere. Stichidia, antea ignota, supra describere conatus sum; ex his deducere liceat D. hormoclados esse speciem Lophothaliæ, dum in D. Ceramioide stichidia adsunt, qualia in speciebus Dasyæ normalibus obvenire constat; sunt a ramello monosiphoneo transformata et pedicello monosiphoneo sustinentur; continent sphærosporas intra singulos articulos verticillatas; et in stichidiis, quasi magis rite transformatis, nusquam adparent fila monosiphonea, quibus stichidia D. hormoclados hirta evadunt.

5. L. STROBILIFERA *J. Ag. mscr.* fronde sursum longe corticata tereti, pinnatim decomposito-ramosa, ramis minoribus subfasciculatim a rachide adultiore pullulantibus, inferne nudiusculis, superne squarroso-ramellosis, ramellis monosiphoneis rigidiusculis, inferioribus plerumpue abruptis, superioribus subincurvis; articulis omnium cylindraceis, diametro vix sesquilongioribus, stichidiis crassis torulosis, quasi tumida expansione spiraliter adscendente rachidem circumdantibus.

Hab. ad oras australes Novæ Hollandiæ (ex Adelaide in Herb. Kewensi!).

Inter majores et robustiores Generis, D. scopuliferam Harv. hoc respectu æquans. Rachides ramorum principalium fere pennam corvinam crassas vidi; ex his exeunt rami pennam passerinam crassi, fere fasciculatim pullulantes, et ex his ramuli, setam fere æquantes. Ramuli robusti, rigidiusculi; adultiores monstrant superficiem polysiphoneam tenuius corticatam, articulis per corticem vix translucentibus, diametrum circiter æquantibus aut brevioribus. Sectione transversali ramuli vidi siphones pericentrales 7, intra stratum corticale sat distinctum. Ramelli, a basi monosiphonei, a rachide polysiphonea exeuntes, patentes et rigidiusculi; inferiores sæpe abrupti, pauci in apicem obtusiusculum parum attenuatum desinentes; superiores paulisper incurvi, omnes cylindracei (nec ad genicula articulorum contracti (ut in *D. scopulifera* et *D. hormoclados*); articulis diametro circiter sesquilongioribus, membrana crassa cinctis. Stichidia ex apicibus ramellosis ramulorum formata, valida, quasi

tumida expansiore rachidem spiraliter circumambiente constituta, ramellis abruptis horridula, in nodis cellulosis sphærosporifera, quoad formam fere referentia iconem, quam in *Tab. Phyc. Vol. XIV. tab. 70 D. mucronatæ* dedit Kützing. Cystocarpia vidi ovato sub-globosa, pedicello brevissimo suffulta, sat magna; gemmidia pyriformia.

†† *Siphonibus pericentralibus 5, densius corticatis.*

6. L. MUCRONATA *(Harv. mscr.) Dasya mucronata Harv. Ner. Bor. Amer. p. 63; J. Ag. Sp. p. 1224; Kütz. tab. phyc. vol. XIV. tab. 70.*

In oceano atlantico ad littora calidiora Americæ.

Est species Lophothaliæ evidentissima; sunt revera rachides ramorum ramulorumque quæ infra apices in stichidia mutantur. Sphærosporæ intra articulos subsingulæ ita proeminent extrorsum, ut in articulis vicinis non idem latus spectant, sed proeminentiæ fertiles lineam subspiralem adscendentem efficiant. Apices, supra partem fertilem, vidi mollissime penicillatos, fere ocellatos, nempe corymbo filorum convergentium breviorum terminatos; in his filis articuli brevissimi mihi adparuerunt; corymbum circumcirca cingunt fila multo longiora, penicillo mollissimo; in parte fertili ramelli monosiphonei fiunt breviores et rigidiusculi, patenter dichotomi, in apicem mucronatum desinentes, quasi sphærosporas bracteantes. Ramuli hoc modo inferne fiunt squarrosi. Ni fallor hæc species a plurimis *Lophothaliis* recedit siphonibus pericentralibus 5.

7? L. SCOPULIFERA *Harv. Phyc. Austr. tab. CCLXXI.*

Ad oras Novæ Hollandiæ occidentalis.

Pauca tantum fragmenta hujus mihi misit Harvey; quibus deducere ausus sum speciem esse sui juris, mihi aliunde non allatam. Fronde firmiore cum supra descripta *L strobilifera* et cum *D. Wilsonis* quandam esse similitudinem vidi; at in aliis quoque diversitates. Stichidiis nondum observatis incertum manet an sit species Dasyæ genuina. A structura nuclei, quam observavit Harvey, forsan conjicere liceat eam potius esse speciem Lophothaliæ.

††† *Siphonibus pericentralibus 4 densius corticatis.*

8. L. VERTICILLATA *(Harv. mscr.) Dasya verticillata Harv. Ner. Austr. tab. XXIV; J. Ag. Sp. p. 1251; Kütz. Tab. Phyc. Vol. XIV. tab. 86.*

Ad littora Tasmaniæ et Novæ Hollandiæ australis.

Sunt rachides terminales ramorum minorum, quæ parum mutatæ in Stichidia abeunt. In Stichidio toruloso et ramellifero apices coma molliori terminantur. Sphærosporæ singulæ aut paucæ in articulo; et singulæ per se proeminentes. Ramelli patentes incurvi, demum verticillati: quo charactere species facilius dignoscatur.

9. L. Feredayæ *(Harv. mscr.) Dasya Feredayæ J. Ag. Sp. p. 1235; Harv. Phyc. Austr. tab. CLXXIII.; Kütz. Tab. Phyc. Vol. XIV. tab. 67.*

Ad littora Tasmaniæ et Novæ Hollandiæ australis.

Icon Harveyana, pro more, habitum eximie reddidit; de nonnullis vero aut tacet, aut aliter vidit; de his pauca hoc loco moneam. In frondibus majoribus (haud paucis) vidi (caulem primarium paulo supra radicem) obsitum proeminentiis minutis, nunc cylindraceis truncatis, nunc magis acuminatis, numerosissimis et densissime stipatis, quasi in tuberculum muricatum rachidis coalescentibus. Partem hanc incrassatam, quam nunc usque pollicarem longitudine, et diametro 2—3 lineas æquantem vidi, speciei characteristicam facilius putaverim, nisi eandem quoque in alia specie fere conformem vidissem. Quia proeminentiæ nunc cylindraceæ et truncatæ obveniant, easdem reliquias esse ramorum dejectorum forsan credere liceret. An potius considerarentur morbosæ excrescentiæ, animalium vi aut læsione productæ?

Exsiccatione frondes ita collabuntur, ut structuram interiorem difficilius distinguere liceat; ex specimine magis juvenili transverse secto siphones pericentrales 4 sat magnos observare credidi intra stratum tenue corticale.

Stichidia a rachide ramorum ramulorumque parum transmutata formata vidi. In parte sterili infra stichidium articuli polysiphonei sunt diametro paulo longiores; ubi superne articuli breviores fiunt, parum transmutati in articulos stichidii abeunt; ut ex parte sterili rachidis ramelli monosiphonei exeunt, ita quoque ab ipsa fertili parte proveniunt fila monosiphonea; sphærosporæ in articulis subsingulæ aut paucæ et extrorsum singulæ tumentes, unde stichidium plus minus torulosum adpareat. Terminalis pars inevoluta rachidis, ramellis mollioribus constituta, sensim sensimque in partem superne adcrescentem stichidii sine dubio abit. Quot sunt sphærosporæ in singulis articulis vix certius statuere auderem. In multis articulis binas vidi, siphone sterili invicem separatas; in juniore parte stichidii utrasque coætaneas, in adultiore unam magis evolutam, alteram minorem observare credidi. In planta magis senili, quam *coarctatam* dixi, vidi partem torulosam rachidis, sphærosporis elapsis vacuam, admodum longam; hanc superne continuatam parte (sphærosporis præsentibus) prægnante; totam ramellis monosiphoneis obsitam.

Quale igitur stichidium ipse vidi, tale magnopere revera discedit ab icone, quam l. c. dedit Harvey; suadente hac facilius speciem Dasyæ in hac planta agnosceres. Specimen tamen authenticum comparavi, et hoc nostram plantam sistere mihi certum videtur.

10. L. Sarcocaulon *Harv. Phyc. Austr. tab. CCLXXVIII.*

Ad oras Tasmaniæ superioris et Novæ Hollandiæ occidentalis.

Species distinctissima videtur, cujus affinitates ex icone pulchra, a Harvey data, plantæ sterilis vix conjiciantur. Ex iis, quæ ipse vidi, speciem esse Lophothaliæ assumere audeo, quam D. Feredayæ proximam judicavi. Stichidia nimirum vidi a ramulo polysiphoneo et corticato parum transformata, circumcirca ramellis rigidiusculis sub-dichotomis fere squarrosa, sphærosporis magnis, singulis aut geminis in articulo, singulisque per se prominulis instructa. Ipsi apices ramulorum fasciculo penicillorum quasi ocellati; ramellis basi paulo crassioribus, apice longissime attenuatis penicillorum comam mollissimam constituentibus. Inferiores ramuli monosiphonei, apicibus ut videtur abruptis quin immo aliquando obtusi, a basi crassiore acuminati; sunt ejusmodi ramelli magis attenuati, qui a Harvey depinguntur.

Articuli in his sunt diametro circiter duplo longiores. Ut excrescunt penicilli terminales, ramuli ejusdem inferiores magis distant, et ramellis patulis fere flabellatim expansis magis rigidiusculi videantur. Mihi adparuit hos flabellos paginam (nec marginem) rachidi advertere, quod vero non certius statuere auderem.

Plantam a Harvey depictam partem tantum superiorem rami constituere, observato specimine magis completo, mihi certum videtur. Inferior planta constat caule crasso, circiter pollicari et pennam scriptoriam crassitie æquante, radici adhuc crassiori sub-tuberosæ et forsan fibris instructæ adfixo. Ad apicem hujus caulis ramos quosdam (3) egredientes vidi, nunc indivisos, nunc iterum bifidos, quos inferiore sua parte excrescentiis numerosissimis et stipatissimis in partem tuberosam, 1—2 pollicarem longitudine, et digitum minorem fere crassam evolutos vidi. Ex apice hujus partis tuberosæ exeunt rami proprii, quales a Harvey pinguntur, ab ima basi multo tenuiores, ramis ramulisque decompositi. Excrescentiæ constant papillis, a basi paulo crassiore attenuatis, lineam circiter longis, superne circiter setam crassis. In papilla transverse secta cellulam centralem et pericentrales 5 (at obscure) dignoscere putavi.

Quid sibi velint papillosæ istæ excrescentiæ, in parte inferiore ramorum evolutæ tum hujus speciei, tum illæ D. Feredayæ, mihi quidem omnino dubium permanet. An assumere liceret easdem ob molem suam demum a rachide separatas fieri, et tuberosam partem in radicem crassam et fibrosam novi individui abire, quam ad basem speciminis a me observati sat conspicuam descripsi? Quum in duabus speciebus fere consimiles observavi, easdem his privas non ægre haberem. Formationes consimiles in paucissimis Florideis obvenire conjicio.

11. L. Lenormandiana *(Dasya Lenormandiana J. Ag. Sp. p. 1258).*

Ad ostia Glenelg fluminis Australiæ.

Postquam l. c. hanc speciem, characteribus insignibus ab omnibus antecedentibus sat diversam descripserim, nulla nova specimina, quæ ad plantam illustrandam conducant, me vidisse, animadvertere placet.

γγ. Stichidiis a ramulis quasi propriis formatis, totis transmutatis, organa sui juris evidentius constituentibus.

12. L. bolbochæte *(Harv. mscr.) Dasya bolbochæte Harv. in Lond. Journ. et Ner. Austr. tab. XXVI.; J. Ag. Sp. Alg. p. 1233; Kütz Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 65.*

Ad littora Tasmaniæ et Novæ Hollandiæ australis.

Ramis dense corticatis flagelliformibus hæc species plures alias refert; ex his cautius dignoscatur ramellis setiformibus, quasi fasciculatim egredientibus; stichidiis fere ab omnibus speciebus ad Dasyam relatis dignoscatur. In planta sterili fasciculi ramellorum a ramulo brevissimo polysiphoneo, supra corticem rami vix eminente, exeunt. Ab ejusmodi ramulo transmutato stichidium formatur. Pedicellus polysiphoneus permanet; residua ramellorum a stichidio brevissimo siliquoso lateraliter exeunt; et in apice stichidii apparent ramelli incevoluti incurvi, sæpius plures. Sphærosporæ intra stichidium cellulosum parum prominent, in articulis singulæ aut paucæ. Sunt stichidia hoc modo organa magis ambitu definita,

quam in aliis Lophothaliis, structura vero vix cæterum diversa. Cystocarpia vidi qualia Generi characteristica supra describere conatus sum. Intra pericarpium crassiusculum, nucleum basalem vidi fasciculo gemmidiorum pyriformium constantem.

Sub-Genus II. Lophocladia *fronde sub-ecorticata aut cortice obducta, in ramulis monosiphoneis, a polysiphonea fronde exeuntibus, sphærosporifera; stichidiis nempe a rachide ramuli monosiphonei plus minus transmutata formatis, nunc ramellos monosiphoneos circumcirca (plus minus persistentes) gerentibus, nunc ipsis in rachide ramellosa nudis, quasi magis transmutatis et terminalibus. Tab. nostr. II. 3 et 4.*

† *Stichidiis tenuioribus, ob sphærosporas in articulo subsingulas, at in diversis articulis aliorsum eximie prominulas toruloso-flexuosis, quasi distortis.*

13. L. Tumanowiczi *(Gatty mscr.) Dasya Tumanowiczi in Harv. Ner. Bor. Am. p. 64; J. Ag. Sp. p. 1232; Kütz. Tab. Phyc. vol. tab. 63* (eximie!).

In oceano atlantico ad littus Floridæ.

14. L. trichoclados *(Mert. mscr.) Dasya trichoclados J. Ag. Sp. p. 1229; D. lophoclados Mont.; Polys. lophoclados Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 22.*

In oceano atlantico ad insulas Indiæ occidentalis.

De stichidiis hujus et antecedentis speciei ad ea refero, quæ in Spec. Algarum de his jamdudum dixi, et conf. *Tab. nostr. II. 4.* In *D. Tumanowiczi* et stichidia et antheridia filis mollibus penicillata vidi. In *D. trichoclados* stichidium nullis ramellis obsitum observavi.

15. L. Lallemandi *(Mont. mscr.) J. Ag. Sp. p. 1231.*

Ex mente Harveyi eadem species et *in mari rubro* et *ad oras Novæ Hollandiæ* obveniret; Kützing nomen primitus datum plantæ maris rubri servavit; plantam Novæ Hollandiæ nomine *D. Harveyi* separavit. Utramque in *Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 71* delineavit. Plantas steriles tantum vidi.

†† *Stichidiis magis dilatatis lanceoideis cellulosis, ob sphærosporas in articulo pauciores (1—2), extrorsum minus prominulas, sparse verrucosis.*

16. L. lanuginosa *J. Ag. mscr.* major, teretiuscula ramis pinnatim egredientibus subflagelliformibus plus minus decomposita, tota corticata et sub juniore stadio ramellis monosiphoneis setæformibus densissime villosa, stichidiifera

ramellis plurimis dejectis pilosa aut nudiuscula, capsulifera subdenudata, stichidiis in ramulo monosiphoneo, inferne ramelloso, subterminalibus, a rachidis parte suprema transformatis, ipsis subpolysiphoneis lancoideis nudis, in articulis singulis sphærosporas paucas parum intumescentes gerentibus *(Tab. II. 3)*.

Ad oras australes Novæ Hollandiæ.

Magnitudine et habitu *Dasyam villosam* aut *D. bolbochæten* potissimum referre diceres; propius inspecta. species sat distincta adpareat. Sterilis et junior habet ramos elongatos densissime obtectos ramellis monosiphoneis elongatis et rigidiusculis, sæpe paulisper incurvis — adspectu potissimum eos *D. bolbochætis* æmulantibus, sed densius et quasi sine ordine dispositis. Fertilis fit plus minus denudata, ramis corticatis subcarnoso-cartilagineis; cellulas ejusdem sub hoc stadio quin immo granulis amylaceis repletas observavi.

Frondes vidi usque sesquipedales, caule pennam scriptoriam crassitie æquante suffultas; ramos denudatos crassitie pennam columbinam æquantes, 8—12 pollicares. Sectione transversali siphones pericentrales 4 inter centralem, paulo minorem, et exteriores proximas subconformes, in cellulas corticales angustiores sensim abeuntes, observare credidi. Rachis rami a facie visa offert adspectum articulatum, articulis (tamen corticatis) translucentibus diametro fere duplo brevioribus. Ab hac rachide exeunt quasi fila callithamnioidea, articulata et monosiphonia, articulis diametro circiter triplo longioribus instructa, cylindracea et ad genicula non contracta, alia simpliciuscula, alia inferne subfasciculatim ramellosa, omnia longitudine sua diametrum rachidis parum excedentia. In his filis, quæ fasciculatim ramellosa dixi, oriuntur stichidia, a rachidis parte suprema transformata, ovato-lancoidea, ambitu quasi definita et nullis ramellis obtecta, ipsa quasi polysiphonea aut cellulosa, suo diametro 2-plo—4-plo longiora, sphærosporas in articulo singulas aut paucas, plus minus verrucoso-prominulas generantia. Infra stichidium rachis monosiphonia, sat elongata, ramellis monosiphoneis alterne exeuntibus ramosa conspiciatur.

Comparata structura stichidiorum patet hanc speciem ad Lophocladias (quorum stichidia a ramulo monosiphoneo transformato oriuntur) pertinere, nec ad Lophothalias proprias (*Rhodolophias* quorum stichidia a rachide ramuli polysiphonei generantur). Quamquam igitur species nostra cum *D. bolbochæte* analogias monstrat sat conspicuas, revera tamen ab hac specie diversa facilius videatur. Præterea addere lubet me stichidia in rachide crassa haud fasciculatim collecta (ut sæpe in D. bolbochæte) observasse, sed secus rachides quasi longis seriebus disposita, dispositionem ramellorum probe sequentia. Dum in D. bolbochæte stichidia pedicello brevissimo et polysiphoneo suffulta permanent; in L. lanuginosa, contra, insident ramulo monosiphoneo longiore, infra stichidium ramelloso, ramellis ad genicula singulis alternantibus.

Cystocarpia subglobosa observavi ad apicem ramuli firmioris et corticati, ore vix protracto superata, pericarpio crasso et opaco, gemmidiis pyriformibus instructa. Plantam capsuliferam fere omnino ramellis denudatam vidi.

De numero siphonum pericentralium addere lubet me nunc siphones 5, nunc 7, eundem fere orbem ingredientes vidisse; nunc 4 primarios distinguere credidi.

CXLI. Lenormandia.

(1 a). Lenormandia hypoglossum *J. Ag. mscr.* fronde membranacea coccinea corticata, prolificationibus a costa emergentibus decomposito-ramosa, juvenilibus ovalibus, adultioribusque sublanceolato-linearibus, foliola plana simplicia margine integerrima, apice vix conspicue emarginata referentibus, phyllis fructiferis in cæspitulos minutos per costam subseriatos collectis, demum in keramidia singula ovato-urceolata sub-calcarata intumescentibus.

Hab. ad oras austro-occidentales Novæ Hollandiæ (sp. missit F. de Mueller).

Habitus totius frondis, colore roseo-coccineo quoque adnuente, speciem Delesseriæ e sectione D. Hypoglossi, ita omnino refert, ut incauto facillime inter species numerosas hujus sectionis speciem majorem et insignem sistere videretur. Ut vero plantam, luce adversam, per lentem, parum quoque augentem, examinamus, cellulæ interiores compareant sat magnæ, rotundato-angulatæ, seriebus transversalibus, a costa margines versus oblique adscendentibus, dispositæ, quibus structuram non bene cum Delesserieis congruere pateat.

Frondem vidi usque pedalem, foliolis lanceolato-linearibus, adultioribus magis elongatis 2—3 pollicaribus, junioribus brevioribus et sæpe magis ovalibus, petiolo evidente suffultis, dein costatis, apice attenuato (ut adpareat) sæpe obtusiusculis, singulis indivisis at prolificationibus a media costa utriusque paginæ emergentibus iterum iterumque decomposita. Ut excrescunt folia primaria, costæ horum in rachides mutantur, iterum iterumque ramosas crassiusculas, et reliquiis laminæ nunc quoque alatas. Petioli foliorum sunt initio paulisper complanati, margines (nec paginam) folio generanti advertentes; mox vero, torsione facta, foliola nova paginam unam superam folio primario adversam, alteramque inferam gerunt. Ejusmodi foliola pullulantia nova per totam frondem generantur plurima, quæ in planta exsiccata quasi foliolo generanti adpressa sæpe adpareant.

Sectione transversali facta folium duplici strato contextum conspiciatur; strato nimirum *corticali*, cellulis minutis inæqualibus et vage angulatis contexto, et costam et laminam obtegente; strato *interiore* in costa cellulis demum numerosis et longitudinalibus constituto, in lamina vero cellulis angulato-rotundatis, quas supra memoravi, singula serie a costa margines versus dispositis. Cellulæ hæ interiores, quæ costæ proximæ sunt, sectione transversali fere quadraticæ (cubicæ) adparent; membranis crassis sejunctæ; quæ marginibus folii adproximatæ, sectione transversali fere rectangulares conspiciantur. Eadem cellulæ, a facie observatæ, contentum offerunt magis rotundatum; cellulis, quæ ipsam costam efficiunt, magis elongatis, directione costæ sub-rectangulariter expansis. Cellulæ strati corticalis fere 3:bus seriebus dispositæ; intimæ nimirum parietibus strati interioris antepositæ, mediæ cum his alternantes; extimæ minores endochromate colorato dignoscendæ. Rachides demum admodum incrassatæ fiunt, hinc magis convexæ, illinc complanatæ; totæ cellulis longitudinalibus plurimis contextæ, aliis harum diametro paulo majori, aliis minori quasi diversis, poris anastomosantibus et quasi radiantibus, invicem conjunctis.

Fructus vidi in phyllis minutis, cæspitulos supra costam sparsos aut fere seriatos formantibus, juvenilibus subspathulatis, nempe petiolo tenuiore instructis, dein admodum dilatatis, apice iterum attenuatis; cellulis mediis horum phyllorum, series longitudinales formantibus; in cellulam terminalem, cæteris initialem, excurrentibus; cellulis extra medias, series

verticales formantibus, in lamina ab initio complanata. Ut fructus in phyllo juvenili institui incepit, hoc paulo longius infra apicem eximie fit incrassatum, media parte fere sphærice intumescente, apice tenui subreflexo, quasi tabescente et in appendicem calcaratum Keramidii abeunte. Comparata evolutione totius plantæ, fructum a medio phyllo quasi prolificatione ortum, et in folio generante transverse impositum dicerem; hinc placentam a phyllo generante erectiusculam vidi, carpostomio supero, in media parte intumescente phylli transformati aperto (apice phylli in appendicem calcaratum abeunte). Keramidium (paulo magis ovolutum) vidi in phyllo fructifero solitarium, et oblique a pedicello (phyllo fructigero) adscendens, ovato-urceolatum, carpostomio producto hiante terminatum, inferne calcaratum (apiculo folii fructiferi hebetato), totum cellulis minutis plurimis contextum; hæ cellulæ in carpostomio (in cylindrum brevíssimum producto) series longitudinales efficiunt; in parte inferiore pericarpii adparenter in-ordinatæ, minutæ et forma variæ. Pericarpio longitudinaliter secto placenta conspicua fit, ab ima parte Keramidii erectiuscula, columnam mediam referens, ex qua rami exeunt inferiores, quæ in fila abeunt longitudinalia, nucleum ambientia, et terminales capitulum fertile formantes; fila, quæ hoc capitulum constituunt, apice fiunt obovato-pyriformia, singulis gemmidia solitaria magna obovato-elongata foventibus.

Ex descriptione, quam satis amplam dare conatus sum, patet ut putarem, plantam quam habitu (colore et ramificationis norma) *Delesseriæ hypoglossi* simillimam dixi, revera ab hac abunde diversam esse, comparatis characteribus. quos majoris momenti considerare consuevimus. Ex structura phyllorum fructificantium, quam descripsi, patet frondem ab initio esse costatam, serie media longitudinali in cellulam terminalem, cæteris initialem, excurrente; in foliis paulo adultioribus et sterilibus pars suprema folii hebetatur et folium sæpius apice obtusum adpareat. Folio vero hoc accuratius inspecto, apicem videbis emarginatum, apiculo hebetato sinum emarginaturæ occupante. Patet hoc modo speciem novam ab aliis Lenormandiæ speciebus, hoc respectu, vix differre.

Comparata structura nec minus differt species nostra a speciebus Delesseriæ, quæ sectionem Hypoglossi constituant. Quæ in nostra obveniunt admodum distincta duo strata (*interius* unica serie cellularum oblique adscendentium constitutum, et *corticale* crassum pluribusque seriebus compositum); hæc in Hypoglossis deficiunt, aut aliter disponuntur. In Lenormandia tum una species ecorticata, tum aliæ corticatæ jamdudum cognitæ sunt; et cum his ultimis quam proxime convenit species nova.

In Lenormandia plures species cegnitæ sunt, quæ ramificationis norma (phyllis a costa prolificantibus) conveniunt. Ab his nova species forma foliorum, lamina plana, et colore lætiore dignoscatur.

Fructus in plurimis, quæ nostræ vidi, speciminibus deficiunt; in perpaucis fertilibus sunt revera admodum juveniles; tamen ex his mihi luculentissimum fuit speciem Rhodomeleis pertinere.

LENORMANDIA LATIFOLIA *Harv. Ner. Austr. p. 19.*

Ad Swan River; Ex Champion bay plura specimina, a Spalding lecta, misit F. de Mueller.

In *Nerei Austr. p. 19* hanc speciem descripsit Harv. ex unico specimine quod in Herb. Lemanni viderat. Quum dein in *Phycol. Austr. Tab. CLXXXI.* L. spectabilem depinxit, monuit hanc quoad frondis magnitudinem admodum variam esse, nunc frondes offerens un-

guem dimidiam tantum latas, nunc usque 4—5 pollices latitudine æquans. Hoc loco igitur *L. latifoliam*, antea descriptam, formam latam *L. spectabilis* consideravit. Specimen originale L. latifoliæ me non vidisse, dicere fas est. Quæ vero specimina habeo ex Champion bay, ea ad plantam istam Harveyanam referre non dubitavi. Speciem sui juris et admodum insignem, hæc mihi indicant. Ex iis, quæ vidi, frondem simpliciusculam putarem, 1—2 pedalem, sæpius 2—3 pollices latam, nunc multo latiorem, ambitu sæpius lanceolatam aut ovalem, margine integriusculam aut subundulato-dentatam. Ejusmodi frondes in planta juniore (at fructifera) plerumque plures a callo radicali fasciculatim egredientes vidi; hæ inferne subregulariter attenuatæ, quasi stipite cuneato sesquipollicari, plano at costato sustinentur; dein magis lanceolatæ expanduntur, costa ut videtur omnino nulla; nusquam in nostris vidi prolificationum quædam indicia, sed per totam frondem tum stichidia fasciculata, tum (in aliis) cystocarpia quoque subfasciculatim congesta, at pauciora, sparsa obveniunt. Phylla stichidiorum lanceolata vidi, duplici serie sphærosporas generantia.

L. spectabilis, a facie observata, monstrat cellulas interiores sub-rhombeas, oblique a costa plus minus conspicua adsceudentes, et quia cellularum parietes parallelæ, omnes cellulæ per lineas dispositæ adpareant. In *L. latifolia* structuram diversam puto. Costa, externe vix conspicua, tamen adesse videtur, cellulis mediis longitudinaliter seriatis, modo diceres quo in Nitophyllis venæ superficiales obveniunt, cellulis venarum magis elongatis, quam in parenchymate adjacente. Ex costa, ita præsente, in fronde juniori observavi quoque venas laterales, non proprie strictas, sed potius paulisper flexuosas. In fronde adultiore cellulæ interiores translucentes subhexagonæ mihi adparuerunt, nec rhombeæ; nec igitur modo Lenormandiæ cellulas interiores observavi in lineas obliquas seriatas. Sectione transversali frondis in *L. spectabili* vidi cellulas interiores fere unicam seriem formantes, licet singulæ suis apicibus superimpositæ videntur proximis. In *L. latifolia* transverse secta vidi cellulas interiores, duplici serie dispositas, extra cellulas quasdam medias, quas stratum proprium axile, formare putarem. Hoc stratum axile cum venis superficialibus, situ convenire conjicio.

Qualem igitur structuram in *L. spectabili* observare liceat, talem in L. latifolia obvenire vix putarem. Potius revera crederem esse Generis proprii typicam, fere Pollexfeniam aut Jeannerettiam quodammodo referentem. Quum vero in planta permagna, cujus pauca tantum adsunt specimina, et hæc omnia adultiora, difficilius tantam judicatur quænam mutationes ex evolutionis gradu pendeant, nolui contra Harveyum L. latifoliam ipsius, a L. spectabili omnino diversam proclamare. Est revera in Lenormandiis jam antea cognitis id peculiare, ut species diversæ et structura frondis, et ramificationis norma, et situ fructuum invicem differant. Sit igitur ut *L. latifolia* novam modificationem his adderet.

CXLII. Amansia.

Amansia mamillaris *Lamour. J. Ag. Sp. p. 1113.*

Hæc Species jam a Lamourouxio indicata, postea aliis, qui Algas Australiæ descripserunt, vix cognita fuit, nisi forsan fragmentis a Lamourouxio distributis. Quæ de Specie insigni hucusque scimus, revera nituntur descriptionibus, ab ejusmodi fragmento deductis. Nec liquet ex quo loco natali Novæ Hollandiæ

specimen Lamourouxianum olim reportatum fuit. Quæ si ita sint, operæ pretium mihi visum est, paucis ea adumbrare, quæ ex specimine, nuper ex Champion bay, Novæ Hollandiæ occidentalis, mihi allato, didici.

Planta videtur major, comparatis aliis Amansiæ speciebus; specimen nimirum fere sex-pollicare, et, lateralibus laciniis decompositum, fere latitudine æque expansum; a scutello radicali surgens stipite brevi, lineam circiter longo, teretiusculo, in costam frondis mox abeunte. Supra stipitem cuneatim dilatata, frons fit dein late linearis, 4-lineas circiter lata, superne parum angustior fit laciniis numerosis alternantibus decomposito-pinnatifida; laciniæ inferiores invicem paulo magis distantes, superiores adproximatæ, axillis deorsum obtusiusculis, sursum oblique patentibus separatæ, omnes sub-conformes in inferiore sua parte simpliciusculæ, in superiore laciniatæ, membrana laciniæ non interrupta in rachidem decurrente. Margines laciniarum principalium inferne obsoletius undulatæ; superiores omnes ciliis minutissimis, at sat evidentibus, rigidiusculis denticulatæ. Rachis primaria a cæteris distat costa valida in inferiore ejusdem parte incrassata, stipitem inferne continuante; ad mediam circiter frondis altitudinem hæc obsoletior fit, superne abiens in costam tenuem, quæ dein fere ad apices continuatur. Quoad structuram ea videas, quæ in Spec. Algar. jamdudum attuli.

Stichidia utroque latere costæ subsingula proveniunt, at in locis fertilibus adproximata, et ita magna ut eadem phylla prolificantia fere potissimum diceres; sunt pedicello multo tenuiore suffulta, lanceolata, in apicem fere teretiusculum excurrentia; in planta vivente, ni fallor, supra pedicellum incurvatum erectiuscula, in exsiccata frondi adpressa tubercula longiuscula referunt; quod an nomine dato indicatum voluerit Lamouroux nescio. Stichidium fertile crassiusculum et inferne corticatum, duplici serie sphærosporiferum; superne subecorticatum et areolatum.

Specimen unicum, quod vidi, loco dicto a D:re Elliott lectum.

CXLIII. Vidalia *J. Ag. Sp. p. 1117.*

Sectio III. Epineuron *l. c.*

5 a. Vidalia intermedia *J. Ag. mscr.* fronde tenue membranacea, plana (vix conspicue torta), lineari, a margine distanter decomposito-pinnata, ciliisque a latiore basi attenuatis, subulatis subincurvis, frondis latitudinem dimidiam

circiter æquantibus serrata, stichidiis secus costam seriatis incurvis sublanceolatis, Keramidiis subglobosis, in ciliis marginalibus longe pedicellatis aut in prolificationibus costæ subsessilibus.

Hab. ad oras occidentales Novæ Hollandiæ (Champion bay D:r Elliott! et H. A. Spalding!) Spec. mis. F. de Mueller.

Inter species Generis, una cum *Vid. Cliftoni (Harv. Phyc. Austr. Synops. n:o 170)*, juxta *V. Spiralem* disponenda; ab hac dignoscatur fronde plana (vix umquam torta), et multo tenuiore, membranacea, per totam longitudinem fere eandem latitudinem servante, pinnarum ad ortum et ad apices paulisper tantum attenuata (nec ob spiras alterne quasi contracta et dilatata). A *Vid. Cliftoni* dignoscatur fronde magis elongata et angustiore, atque magis distanter subdivisa, ciliisque magis subulatis, h. e. a basi minus dilatata attenuatis (ciliis in V. Cliftoni magis deltæformibus).

Frondem in nostra vidi pedalem et ultra, inferne caulescentem, costa in caulem demum validum teretiusculum, sparsim reliquiis membranæ laceris obsitum, intumescente. Ab hoc caule pinnatim exeunt frondes tenue membranaceæ, 3—6 pollicares, lineares lineam-sesquilineam circiter latæ, a margine pinnas conformes emittentes. Pinnæ aliæ oppositæ, aliæ alternæ, supremæ nunc subsecundatæ, nunc paucas lineas, nunc ultra pollicem invicem distantes, omnes ad basem vix conspicue angustiores, apices versus obtusiusculos, in juniore subincurvatos, longius attenuatæ. Cilia a margine utroque sat regulariter exeuntia, sæpe alternantia, nunc inferiora opposita, superiora evidentius alterna; ea, quæ in eodem margine superposita sunt, vix lineam invicem distant; omnia a basi paulo latiore attenuata, longitudine sua vix dimidiam latitudinem frondis æquant; superiora sunt leviter incurva oblique adscendentia, inferiora fere horizontaliter patentia. Planta exsiccata tenuitate frondis V. Cliftoni fere æquat; costa in superiore fronde vix proeminet nisi prolificationibus conspicuis. Madefacta et sub lente parum augente observata monstrat zonas adscendentes cellularum interiorum, et a costa ad cilia tendentes costulas, oblique adscendentes.

Sectione transversali frondis structura Vidaliæ fit evidentissima: Costa, cellulis pluribus, sectione rotundatis constituta videtur (ipsa cellula centrali parum distincta); extra costam duplex series adest cellularum interiorum, quæ invicem in utraque serie alternantes adparent, ambitu subrotundatæ, et omnes fere ejusdem magnitudinis; extra cellulas has interiores, stratum corticale duplici serie cellularum multo minorum constituitur. Quæ in strato corticali sunt interiores, vix ab exterioribus magnitudine differunt; aliter in *V. spirali*, cujus cellulas corticales fere unicam seriem constituentes diceres, interioris seriei cellulis evidenter majoribus et quasi transitum parantibus ad cellulas strati interioris. Hoc modo cellulas interiores quadruplici serie in V. spirali dispositas facilius quis diceret, corticalibus quasi monostromaticis.

Keramidia tum a ciliis lateralibus prolongatis, tum a prolificationibus ex costa emergentibus transformata. Quæ in ciliis oriuntur, ea longiore pedicello insidentia vidi, pedicello ipsum Keramidium longitudine æquante aut superante; pedicello in aliis breviore. Ipsum Keramidium a pedicello oblique adscendens, fere globosum, pericarpio valido cinctum, in quo series 3—4 cellularum superpositas, aliis cellulas strati interioris, aliis corticales referentibus. Placenta cellulosa, parum elevata, a latere pedicelli subobliqua, fasciculum gemmidiorum pyriformium emittens. Stichidia tantum a prolificationibus costæ transformata observavi; hæc sursum a costa oblique adscendentia, incurva, juniora magis cylindracea, sen-

sim latiora, sublanceolata, duplici serie sphærosporas triangule divisas foventia; in nostris adhuc juniora et brevissima, series interruptas in costa constituentia.

Mihi hanc plantam examinanti dubitandum videbatur, utrum in illa formam quasi juniorem et tenuiorem *Vid. spiralis* agnoscerem, an Speciem sui juris. Comparata vero quoque *V. Cliftoni*, quæ eundem fere typum refert, at suo modo mutatum, has omnes Species diversas at vicinas considerandas esse putavi. Inter plurima specimina *V. spiralis*, quæ vidi, nullum observavi, in quo spiræ deficerent; frondes hujus seniles quoque membranam offerunt firmiorem, dum in *V. intermedia* specimina fertilia (utriusque generis fructuum) parum aut vix firmiorem membranam quam juniora et sterilia gerunt. Comparata denique structura, differentiam supra indicatam observavi, qua differentiam specificam ulterius corroboratam credidi.

CXLIX$_{/1}$. Heterosiphonia *Mont. Prodr. Phycol. Antarct. et Voy. Pol Sud p. 137; Polysiphonia Sp. Harv. et Kütz.; Dasyæ Sp. J. Ag.*

Frons filiformis aut complanata, decomposito-pinnata, nunc articulata polysiphonea, nunc fere usque ad apices corticata, siphonibus in ecorticata 6—11, marginalibus latioribus, facialibus utrinque 2—3 angustioribus, cortice (in corticatis) celluloso. *Keramidia* globosa, in ramo sessilia, intra pericarpium cellulosum, carpostomio terminali apertum, gemmidia pyriformia in articulo terminali filorum, a placenta basali radiantium, foventia. *Stichidia* siliquæformia, a ramulo transformata, intra articulos brevissimos sphærosporas numerosas verticillatas, singulas cellulis geminis, sursum et deorsum secedentibus corticatas, triangule divisas, foventia. *Antheridia* conico-lanceoidea, ad ramos superiores lateralia, sæpe secundata.

Ut plura alia Genera Rhodomelearum tum formas articulatas, sæpe polysiphoneas, tum adparenter inarticulatas, nempe cortice obductas comprehendunt, ita quoque in *Heterosiphonia*, quale hoc Genus hodie intellectum voluerim, præter formas polysiphoneas et articulatas, quoque corticatas obvenire, non ægre assumerem. Articulatas primo intuitu Polysiphoniæ species referre satis constat; has autem a Polysiphoniis differre in eo, quod alii siphones (marginales gemini) latiores adparent, alii angustiores (qui nempe paginas occupant), 2—3 in utraque pagina; omnes longitudine æquales. Formas corticatas, quales has mihi hodie cognitas habeo, speciem Rhodomelæ, complanatam angustam et subdistiche pinnatam, referre fere dicerem. Ut species polysiphoneæ vix nisi in apice supremo monosiphoneæ adpareant; ita corticatæ vix nisi in supremo apice articulato monosiphoneæ.

Cystocarpia pro magnitudine plantæ (in una specie) sat magna vidi, fere globosa, apice vix conspicue prominulo. Pericarpium tenue cellulis rotundato-angulatis contextum, in superiore parte fere monostromaticum, in ima parte vix duabus seriebus cellularum superpositis constitutum. Placenta fasciculo filorum constituta, a basi pericarpii sursum longius adscendens; fila placentaria inferne crassiuscula, superne tenuiora et magis ramosa, ramulis in articulo terminali gemmidia singula obovato-pyriformia generantibus.

Stichidia, quæ in duabus Speciebus vidi, quoad formam cum iis Dasyæ potissimum congruere videntur. Sphærosporæ triangule divisæ pari modo in utroque Genere verticillatim dispositæ, in singulis articulis numerosæ formantur. Dum vero Sphærosporæ sæpe in Dasya tantum membrana cellulæ fertilis demum obtectæ — quasi denudatæ — adparent, sunt contra in Heterosiphonia quasi corticatæ cellulis duabus, sursum et deorsum secedentibus, quæ singulis sphærosporis antepositæ videntur, sphærospora demum inter has erumpente [1]). Dum porro sæpe in maturescente stichidio Dasyæ verticilli sphærosporarum cum verticillis cellularum sterilium alternantes, quasi nudi obveniunt, et effoetum stichidium quasi alternis zonis hyalinis et coloratis contextum diceres, stichidium in Heterosiphonia magis contractum permanet, et totum cellulosum adparet, cellulisque magis irregulariter positis constitutum.

Antheridia in ramis superioribus interiore latere sæpe plura et subsecundatim disposita, a ramulo evidenter transmutata, et quoad formam fere stichidia referentia; sunt brevi pedicello, parum tenuiore et celluloso insidentia, brevissimo apice sterili superata, per totam mediam partem subcontiguam et circumcirca fila minutissima, verticaliter exeuntia, generant.

Species Algarum scribens de Heterosiphonia Montagnei, quam Speciem Polysiphoniæ consideraverant Harvey et postea Kützing, jam dixi (pag. 1175) eam aut Genus proprium, aut Dasyæ speciem mihi videri. Et alio loco (pag. 1180) ulterius de hac re observavi stichidia, quantum mihi innotuerant, potius Dasyam (quam Polysiphoniam) indicare. A descriptione supra data (sphærosporis in

---

[1]) Stichidium Heterosiphoniæ articulis brevissimis polysiphoneis evidenter compositum. In stichidio a facie viso facile adparet cellulas geminas marginales singulis articulis antepositas esse. Hæ cellulæ geminæ, quas corticales dicerem, steriles permanent; interiore cellula (pericentrali siphone ut putarem analoga) demum sphærosporifera. Sub evolutione Stichidii cellulæ steriles, ni fallor, paulisper oblique distrahuntur, sphærospora ipsa inter utramque demum erumpente.

articulo numerosis verticillatis, atque filis placentaribus elongatis et ramosis) hoc quoque confirmatum videbis. Quale vero Genus Dasyæ eo tempore limitatum fuit, species comprehendebat haud paucas, quæ accuratius comparata stichidiorum structura a typicis speciebus Generis excludendæ mihi hodie videntur. Si hoc modo certum typum stichidiorum genuinis Speciebus privum agnoscere liceat, patet, ut putarem, Heterosiphoniam quoque typum genericum sui juris referre. Mihi igitur hodie Genus Dasyæ legitimis limitibus circumscribere conanti, adparuit Heterosiphoniam quoque ut Genus sui juris agnoscendum esse; quod eo majore jure assumere mihi videor, quum novæ quædam ejusdem Speciei mihi cognitæ sunt, quæ adhuc minus quam primaria species ad typum Dasyæ cogi viderentur.

Species igitur Heterosiphoniæ mihi sunt:

* *Frondibus articulatis, heterosiphoneis.*

1. H. Berkeleyi *Mont. Prodr. Phyc. ant. p. 4; Dasya Berkeleyi J. Ag. Sp. II. p. 1179.*

De hac specie, quam ad diversa littora oceani antarctici obvenire statuerunt, ad ea refero, quæ l. c. dixi. Mihi vero nondum certum videtur omnes has formas antarcticas ad eandem speciem pertinere.

2. H. Polyzonioides *J. Ag. mscr.* fronde minori articulata heterosiphonea, teretiuscula, decomposito-pinnata, pinnis ad geniculum quodque qartum exeuntibus, inferioribus sursum secundatim pinnulatis, superioribus supra basem mox dichotomis, singulis dichotomiæ ramis introrsum obsitis pinnulis secundatis sursum porrectis sub-bifariam dispositis, robustis, in acumen monosiphonium excurrentibus, articulis omnibus diametro brevioribus, plurimis polysiphoneis.

Hab. in Oceano australi ad insulas Falkland (Port William).

Habitu hæc fere Polyzoniam incisam refert, at evidenter heterosiphonea, siphonibus lateralibus latiusculis, facialibus angustis. Sectione transversali vidi siphones 8, duos laterales latiores, et faciales utrinque 3 angustiores. Hoc modo articuli fere omnes polysiphonei, ultimis tantum (2—3), ipsum acumen occupantibus, monosiphoneis. Ex speciminulo a me observato H. Berkeleyi robustior videretur.

** *Frondibus corticatis adparenter inarticulatis.*

3. H. firma *J. Ag. mscr.* fronde firmiore, ex tereti sub-compressa, usque ad apices corticata, pinnatim decomposita, pinnis distantibus quoquoversum por-

rectis pyramidatis, subdichotomo-pinnatis, pinnulis patentibus, ultimis simplicibus subulatis robustis rigidis sæpe recurvatis, articulis inferne vix conspicuis, in ipso apice paucis monosiphoneis, stichidiis ad apices ramorum densius pinnulatos interiore latere ramelli sub-pedicellatis.

Hab. ad littus Novæ Zelandiæ et ad insulas Chatam, a Travers lecta.

Circiter 6-pollicaris, ex coccineo-fuscescens, tota pinnatim decomposita, firma et chartæ vix adhærens, Dasyæ speciem firmiorem habitu referens. Quia vero tota planta fere usque ad apices pinnarum est corticata, facilius a speciebus plurimis Dasyæ dignoscatur. In *H. firma* ramuli, 2—3 lineas distantes, pluribus articulis separari videntur, utpote articuli brevissimi adparent ubi in ramellis ultimis articuli translucentes conspiciantur. Sectione transversali vidi frondem ex tereti compressam, dense cellulosam, cellulis parum magnitudine diversis; attamen siphonem centralem paulo majorem, pericentralibus 11 cinctum, dignoscere putavi; ob conformitatem vero omnium numerus ægre definiatur; extra siphones pericentrales cellulæ corticales præterea adsunt. Stichidia in nostris adsunt, dispositione et structura qualia in descriptione Generis eadem describere conatus sum; paulo densius corticata quam in H. Berkeleyi, cæterum vix structura ab his diversa; quoque quoad situm et formam in utraque congruentia, nisi forsan paulo longius acuminata in H. Berkeleyi.

Frondem typice distiche pinnatam fere dicerem; at rami ramulique ab hac directione sensim divergentes et demum quoquoversum porrecti mihi adparuerunt.

Polyzonia flabellifera *(J. Ag. mscr.)* foliis ad geniculum quodque secundum alterne egredientibus, ambitu flabelliformibus, margine inferiore et superiore rectis integerrimis, petiolum versus cuneatim adproximatis, antico margine arcuato sæpius argute dentato; cellulis paginalibus rectangularibus, primariis a petiolo radiantibus, radiis novis superne formatis bifurcationem folii properantibus.

Polyzonia adiantiformis J. Ag. Alg. Nov. Zel. n:o 277 (partim); non Decaisne.

Hab. ad oras Novæ Zelandiæ; sæpe in Gymnogongro.

Novam Speciem in hac forma agnoscere propensus sum, quam pluries in Algis e Nova Zelandia missis deprehendi. Ad species antea descriptas *(P. cuneifolia, P. adiantiformis, P. ovalifolia)* evidenter proxima, ipsa vero forma foliorum sat conspicue diversa adpareat, accuratius comparanti specimina herbariorum. Ut jam alio loco monui *(De Alg. Nov. Zel, p. 32)* *P. cuneifolia* gerit folia sesquilongiora quam lata, fere rhomboidea, et marginibus 4 distinguendis circumscripta; nempe inferiore recto integerrimo, superiore eroso, laciniato aut dentato; exteriore (antico) eroso dentato (a superiore evidenter distincto dente valido), interiore (posteriore) integriusculo. In *P. adiantiformi* sunt folia fere æque lata ac longa, quoad formam magis flabellata, marginibus fere tribus circumscripta, nempe inferiore et interiore (adscendente fere angulo recto) integriusculis; exteriore et superiore confluentibus lineam arcuatam formantibus; margo hic arcuatus in spec. Decaisnei est obsoletius aut grosse den-

latus. In *P. ovalifolia* sunt folia fere tribus marginibus circumscripta nempe inferiore (recto) et superiore (curvato) basem versus cuneatim adproximatis, utroque integerrimo; tertio (anteriore) obsolete dentato. In *P. flabellifera* folia quoad formam potissimum cum P. ovalifolia conveniunt, margine vero et inferiore et superiore recto; anteriore sæpius argute dentato, dentibus in acumen hyalinum excurrentibus. Dum in P. ovalifolia cellulæ paginales sunt fere hexagono-angulatæ et suo diametro parum longiores; eædem in aliis Speciebus rectangulares adparent, et suo diametro (plus minus) longiores. Disponuntur præterea cellulæ hæ paginales in diversis speciebus diverso modo, nunc magis zonas transversales superpositas formantes, nunc magis radiatim dispositæ, nempe a petiolo sursum et margines versus radiantes; hi radii in plurimis per totam suam longitudinem conformiter excurrentes; in *Polyz. flabellifera* vero superne (plerumque infra dentes validiores) inchoantur quasi cellularum plumulæ novæ, quæ directione paulisper mutata marginem versus dentis, mox in laciniam abeuntis, excurrentes adpareant. Excrescentibus his plumulis novis folia, quæ antea fuerunt cuneata, fiunt bifida, singulis partibus in folia sui juris abeuntibus; hæc folia nova denique in ramulo (a petiolo excrescente) alterne disposita obveniant. Comparanti dispositionem cellularum in *Polyz. elegante* adpareat Polyz. flabelliferam quodammodo transitum parare inter hanc et alias species supra memoratas.

In P. flabellifera stichidia vidi rectiuscula aut parum curvata, appendicibus marginalibus instructa, quæ forsan vices gerunt foliorum, in ramello fertili transmutato non evolutorum.

Scribenti mihi de *Alg. Nov. Zel.* pauca specimina Polyz. flabellifera mihi adfuerunt, quæ a P. adiantiformi distinguere non ausus sum. Nostram vero a planta Decaisnei margine anteriore argute dentato distinctam esse jam monui. Postea, melioribus observatis, speciem distinguere didici.

CXLIX/$_2$. Dasya.

(De subdivisione Generis et dispositione Specierum curæ posteriores.)

Plurimis, ni fallor, adparuit Genus Dasyæ, habitu et fructibus conformibus insigne, iis adnumerandum esse, quæ quasi ab ipsa natura evidenter indicata putantur. Ut in multis aliis ejusmodi Generibus, quorum numerosæ species adsunt, ita quoque in Dasya difficilius inveniri characteres, quibus invicem dignoscantur species, satis constat. Accedit quod in Dasya plurimæ species, ne dicam omnes, sub diversis evolutionis stadiis alium adspectum induuntur, nunc filis Callithamnioideis comosæ, nunc bis denudatæ. Inter eos igitur, qui in Algis cognoscendis præcipue desudarunt, diu operæ pretium visum est sectiones invenire, limitibus rite circumscriptas, ad quas species diversas referre liceret. Mihi quidem, nova trutina hodie hos conatus examinanti, adparuit neque limites Generis rite ductos fuisse, neque Species, quæ Generi certius pertineant, felici manu

dispositas fuisse. Periculum igitur feci proprio marte novam moliri dispositionem, quam Algologorum judicio submittere audeo.

Totam seriem Rhodomelearum comparanti mihi visum est præcipue esse partes sphærosporis prægnantes, quæ in diversis Generibus plus minus differre videntur. Differunt nimirum *stichidia* Rhodomelearum non tantum transmutationis gradu partis fertilis, sed ad diversas normas quoque disponuntur sphærosporæ (in ramis plus minus transmutatis), diversos typos hoc modo indicantes.

Hoc principio agnoto patet eas Species Dasyæ, quibus olim sectiones *Lophothaliæ* et *Lophocladiæ* institutæ fuerunt, ad alium typum pertinere quam Species Dasyæ proprias. Istæ nimirum offerunt typum, quem quoque in Polysiphoniis habemus; et revera nonnullæ sunt species, jamdudum ad Polysiphoniam relatæ, quas cum his congenericas censeo. Lophothaliam igitur Genus sui juris considero, Polysiphoniæ proximum, de quo supra jam fusius egi. Novis formis *Heterosiphoniæ* hodie inventis, Genus quoque hoc, olim a Montagneo conditum, restituendum putavi; de hoc Genere seorsim quoque antea dixi.

His exclusis, Dasyæ Genus, sphærosporis intra singulos articulos numerosis et verticillatis instructum, a Rhodomeleis plurimis facilius dignoscatur. Ipsi ramuli fructiferi sunt quoque evidentius transmutati et organa offerunt magis distincta, quæ nomine stichidii jamdudum designarunt. Ipsa autem hæc stichidia Dasyæ, quamquam adspectu sat conformia, tamen diverso modo in diversis speciebus formari, eadem accuratius observanti adpareat. Ut aliæ sunt Species, quarum ramuli quoad majorem partem articulis polysiphoneis constituuntur; aliæ autem sunt, quarum ramuli aut toti aut quoad maximam partem articulos offerunt monosiphoneos; ita stichidia in quibusdam speciebus a ramulo polysiphoneo transmutato oriuntur, in aliis vero a ramulo monosiphoneo generantur. Illa pedicello polysiphoneo insident; hæc sustinentur pedicello monosiphoneo, sæpe unico articulo constituto, nunc paucis. Præter hanc differentiam stichidii facilius conspicuam, alia adest haud minoris momenti, si quoque hucusque neglecta. Sunt nimirum Species *aliæ*, quarum in stichidiis omnes articuli sphærosporas generant; *aliæ* habent stichidia, in quibus alterni articuli sphærosporis prægnantes fiunt, alternis sterilibus. In stichidio maturescente hæc differentia minus conspicua forsan cuidam videatur; si autem articuli penultimi stichidii juvenilis accuratius observantur, facilius adpareat hos articulos brevissimos, modo diceres Polysiphoniæ cujusdam, unica serie cellularum verticillatarum in multis speciebus constare *(Tab. III. fig. 1);* in aliis cellulæ novæ, intra articulum formatæ, fere statim

per duas series disponuntur, unam inferiorem, alteramque superiorem *(Tab. III. fig. 2)*. Cellulæ superioris seriei in sphærosporas sensim abeunt; inferioris seriei, magis subdivisæ, constituunt cellulas bracteantes (sit venia verbo!), quibus sphærosporæ maturescentes tum inferne sulfultæ, tum extus subcorticatæ, in adultiore stichidio cinctæ adpareant. In stichidio effoeto differentia, quam inter species diversas, indicavi, fit iterum magis conspicua. In illis nimirum Speciebus, quarum stichidia gerunt articulos duabus seriebus cellularum formatos, cellulæ bracteantes, (inferioris seriei) post emissionem sphærosporarum in verticillos regulares coeunt, qui invicem separantur spatiis, quæ perisporiis sphærosporarum vacuis occupantur *(Tab. III. fig. 3)*. In speciebus vero, in quibus articuli stichidiorum unica serie cellularum constant, cellulæ exteriores, quæ sphærosporarum evolutione antea fuerunt oppressæ, his ejectis iterum expanduntur. In his igitur stichidium effoetum totum cellulis subcubicis et contiguis contextum adparet *(Harv. Phyc. Austr. tab. XXXI. fig. 4)*. His cellulis, diu sub grandescentia sphærosporarum oppressis, spatium revera omnino deficeret, si in omnibus articulis sphærosporæ generarentur. Hinc in Speciebus, quæ hac structura stichidii dignoscantur, alterni articuli sphærosporis prægnantes sunt, alternis sterilibus. In speciebus vero, quorum articuli stichidiorum jam ab initio in duos series cellularum (unam inferiorem, et alteram superiorem) abeant, cellulæ quas bracteantes dixi, fiunt grandescentibus sphærosporis repressæ, et spatium hoc modo sufficiens adest sphærosporis, in unoquoque articulo generatis. Patet utroque modo spatium ita obtineri sphærosporis grandescentibus necessarium; at fit modo diverso, quem jam ab origine, articulorum infantilium divisione diversa, indicatum assumsi. Typos igitur diversos specierum his stichidiorum characteribus indicatos fuisse, mihi quidem videtur; et his typis diversis Sub-genera institui, quibus nomina jamdudum proposita *Stichocarpi* et *Rhodonematis* conservavi, quamquam aliis characteribus fundata, et aliis limitibus a me circumscripta fuerunt.

Sunt forsan, quibus videretur non sectiones ejusdem Generis, sed Genera diversa indicari characteribus supra descriptis. Quod hoc attinet, monere placet vix alia esse Rhodomelearum Genera, quibus aut unum aut alterum Sub-Genus proprius accederet, ita ut diversis affinitatis tendentiis singula discedere viderentur. Si igitur invicem proxima, minus referre cuidam forsan adpareat utrum Subgenera an Genera considerarentur. Fuit vero mihi hoc respectu id præcipue argumentum, quod præter subgenera *Stichocarpi* et *Rhodonematis* alia Subgenera admittenda putavi, quibus characteristicum videtur habere stichidia, quorum arti-

culi omnes more *Rhodonematis* prægnantes fiunt, at aut more *Stichocarpi* gerunt stichidia a ramulo polysiphoneo (nec monosiphoneo) transformata, aut alio modo a Rhodonematibus abludentia. Hinc quoque alia Sub-Genera admittenda putavi, quibus quousque licuerit nomina antea ab auctoribus recepta conservavi, quamquam et characteres et limites mutatos fuisse conscius sim.

Dum igitur in *Stichocarpo* et *Eupogodon* (quale hoc limitavi) stichidia ramulo polysiphoneo sustinentur, contra pedicello monosiphoneo insident in *Rhodonemate, Rhodoptilia, Pachydasya* et *Dasyopside.* In Rhodonematibus nimirum sunt ramelli simplices, et quasi extimi in rachide, qui in stichidia transmutantur. Adfuit vero mihi quoque forma, quam *D. atacticam* nominavi, in qua ipsa rachis (aut pars rachidis) ramuli monosiphonei in stichidium transmutata fit. Ramellos a rachide hac exeuntes, transformatione intactos observavi. Stichidium igitur *(Tab. III. fig. 4),* ad normam Rhodonematum sua structura conditum, ramellis sparsis lateralibus et crista terminali ramellosa plus minus conspicua terminatum manet, quasi extrorsum minus definitum. Si igitur dicere liceat stichidia Rhodonematum a partibus extimis et simplicissimis (quasi appendicularibus) fieri transformata, eadem organa vero in Stichocarpis a partibus inferioribus (quasi magis axilibus) oriri, intermedia forsan dicere liceret, quæ in *D. atactica* obveniant. Quamquam hanc formam stichidii in unica tantum specie evolutam vidi, tamen satius duxi peculiarem typum in hac agnoscere, cui Sub-genus proprium finxi, quod nomine *Dasyopsidis* ulterius descriptum infra videas [1]). Paucæ quoque aliæ sunt species, quæ modo quodam peculiari a plurimis recedunt, quibus Subgenera propria instituere malui, quam principalia heterogeneis paucis inficere.

Quod attinet Cystocarpia Dasyæ, pauca de his addere placet, quamquam hodiedum vix ita cognita mihi videntur, ut characteres dispositionis ex iis haurire liceat. Sunt revera in speciminibus Herbariorum rarius obvia, et in speciebus haud paucis hodiedum mihi ignota permanent. In omnibus, quantum vidi, speciebus ramulo polysiphoneo sustinentur; cæterum vero quoad positionem in diversis speciebus haud paucas offerunt differentias. In plurimis forsan speciebus ramo majori (plus minus diviso) insident sessilia, oblique sursum directa aut patula. In nonnullis *(Heteronemiæ)* eadem hoc modo numerosa juxta posita

[1]) Genus Dasyæ, initio conditum speciebus, quæ hodie Rhodonemata mihi constituunt, his quasi typicis representari putavi; his quoque proximum esse subgenus Dasyopsis, nomine indicari, assumsi.

vidi, fere dicerem spicata; in aliis multo sparsiora, nunc certo loco infra apicem rami persistentem singula *(D. punicea, D. Harveyana Ashm.)*. In aliis eadem vidi in ramulo minori adparenter terminalia, nempe paulo infra apicem ramuli evoluta et oblique adscendentia, fiunt parte inferiore ramuli quasi pedicellata, suprema ejusdem parte tabescente et in latus dejecta, quasi apophysi laterali calcarata adparent, et coma ejusdem ramuli nunc persistente involucrata. Ramuli, hoc modo fertiles, ut plurimum breves, quin immo aliquando brevissimi manent, et vices pedicelli sat bene suscipientes; in aliis paulo longiores magis ramulos referunt *(D. Ceramioides)*. Has positiones Cystocarpiorum diversas, diversis speciebus characteristicas puto; et has quoque inter characteres Tribuum memoravi. Dum vero cystocarpia in multis speciebus ignota manent, decidere non auderem, an per duas series, cystocarpiis aut sessilibus aut pedicellatis distinctas, Species subgenerum disponere liceret. Ejusmodi conatum interea hoc loco ausus sum.

Quoad formam cystocarpia sub evolutione mutari conjicio. In nonnullis magis ovata depinguntur, in aliis magis ampullacea, ore protracto cylindraceo. Quo magis intumescit nucleus gemmidiorum, pericarpium quoque in parte sua inferiore expansum fieri putarem, et cellulæ pericarpii magis irregulariter dispositæ videntur. Ipsum carpostomium, initio parum protractum, cellulis constat minutis, in series longitudinales, orificium cingentes, sat regulariter dispositis. His sensim prolongatis et forsan numerosioribus collum protruditur cystocarpii ampullacei. Cellulas ejusdem sæpius directione longitudinali longiores vidi; in unica *(D. urceolata)* cellulas corpostomii directione transversali elongatas observavi, limbum cystocarpii patentem hujus speciei formantes. Pericarpium in cystocarpiis ampullaceis sæpe tenuius mihi adparuit, et madefactum infra ipsum stylum sæpius ruptum vidi.

De nucleo Cystocarpii variæ sunt notiones Auctorum. Species Algarum scribens, dixi nucleum in plurimis globosum constare filis dichotomis a placenta basali radiantibus, quorum in articulis terminalibus gemmidia pyriformia nidulantur *(l. c. p. 1174)*. Nec in speciebus propriis Dasyæ Generis nucleum vidi ab hac descriptione aberrantem. Obvenit vero nucleus nunc minus evolutus, constans filis brevioribus et minus ramosis, in ramellis terminalibus gemmidia magis conspicua et pyriformia foventibus; totus nucleus, hoc modo constitutus, constare videretur fasciculo filorum basali, quem a fasciculis gemmidiorum in plurimis Rhodomeleis parum abludentem facilius putaveris. Si vero in fructibus

magis evolutis, nucleo fere globoso instructis, structuram comparaveris, fila inferiora multo longiora et decomposito-ramosa videbis, nunc secus totam longitudinem, ad genicula articulorum, ramellos fere pinnatim dispositos emittentia, in quibus gemmidia plus minus pyriformia nidulantur; nunc hos ramellos laterales magis prolongatos vidi, et in plures articulos subdivisos (endochromatibus intensius coloratis poro conjunctis) et ni fallor plura gemmidia, ordine deorsum progrediente maturescentia, generantes; nunc totam interiorem partem nuclei globosi in fila decomposito-ramosissima evolutam observavi, ramellos autem extimos, a peripheria nuclei quoquoversum radiantes, in gemmidia obovata abeuntes. His differentiis potius evolutionem plus minus perductam totius adparatus placentaris, quam typos diversos dispositionis gemmidiorum indicari, non ægre assumerem [1]).

Jam vero l. c. in Speciebus Algarum monui me nucleum in *D. bolbochæte* quodammodo diversum vidisse, et mihi cystocarpia hujus hodie examinanti adparuit, nucleum in hac specie fasciculum gemmidiorum offerre, qualem in Polysiphonia et Rhodomeleis plurimis legitimum consideravi. Constat nimirum filis ima basi ramosis, ab adparatu placentari egredientibus, sursum ramellos simpliciusculos elongato-obovatos gemmidiiferos emittentibus. Si conjicere liceat eandem nuclei structuram in omnibus Lophothaliis obvenire, hoc novo indicio probaret Lophothalias magis cum Polysiphonia quam cum Dasya convenire [2]).

---

[1]) Utrum omnes species eundem evolutionis gradum nuclei sensim attingerent, an in aliis speciebus fila nuclei plus minus decomposita obveniant, hoc nullomodo decidere hodie auderem. In *D. coccinea*, cujus nucleum fasciculo basali simpliciore constitutum observavi. jam dignoscere licet plures ramos inferne firmiores, quos sensim magis evolutos fieri facilius assumeres. Intra articulos horum inferiores, endochromata in plures partes aut glomeratim juxtapositos, aut secus longitudinem seriatas videre credidi, quas initia ulterioris evolutionis non ægre haberem. In *D. Harveyi Ashm.* in nucleo nondum rite evoluto, intra membranas fere mucilaginosas filorum inferiorum endochromata articulorum, in partes glomeratim conjunctas vidi. Ex partibus ita conjunctis alias in novos articulos filorum, alias in gemmidia excrescere, forsan assumere liceret.

[2]) Nescio an assumere liceat alios auctores, characteres Dasyæ describentes, talem structuram nuclei, qualem in specie quadam Lophothaliæ forsan viderint, omnibus Dasyæ speciebus *normalem* considerasse. Patet ex iis, quæ a Kützing (*Phyc. Gener. p. 114*) afferuntur et icone data (*tab. 51 fig. 6*) illustrantur, eum structuram adparatus placentaris normalem in nulla specie Dasyæ observasse. Organa, quæ vidit et depinxit, conformia esse statuit in fructibus junioribus et adultis *Dasyæ elegantis*, et hæc ita abnormia consideravit, ut eadem non gemmidia vera, sed organa proprii generis (Nebensamen) esse statuerit. Harvey, qui pluribus locis structuram nuclei descripsit (*Phycol. austr. tab. XXXI., CXLIII., CLXXIV.*) unico loco (*sub D. Haffiæ*) hanc structuram ab ea diversam statuit, quam in aliis vidisset, Generi propriam.

Ex his præmissis adpareat me Lophothalias et Lophocladias, quales antea has sectiones Dasyæ institui (in *Specieb. Algar.*), ad Genus sui juris hodie referre. His exclusis, species Dasyæ legitimas sequente modo disponere conatus sum:

† *Articulis stichidiorum alternis sterilibus, alternis fertilibus, omnibus unica serie cellularum formatis:*

Stichidiis a ramulo polysiphoneo transformatis et pedicello polysiphoneo suffultis *(Tab. III. 1)* Sub-Genus I. STICHOCARPUS.

Stichidiis a ramulo monosiphoneo transformatis et pedicello monosiphoneo suffultis *(Tab. III. 6)* Sub-Genus II. PACHYDASYA.

†† *Articulis stichidiorum omnibus fertilibus, singulis juvenilibus mox duplici serie cellularum formatis, superioris seriei sphærosporas generantibus, inferioris cellulas bracteantes et corticales formantibus.*

* *Stichidiis a ramulo monosiphoneo transformatis et pedicello monosiphoneo suffultis.*

Stichidiis a ramulo (ultimi ordinis) indiviso monosiphoneo formatis, extrorsum nudis; effoetis verticillos cellularum corticalium distantes formantibus *(Tab. III. 2 et 3)* Sub-Genus III. RHODONEMA.

Stichidiis a rachide ramuli monosiphonei formatis extrorsum ramellosis; effoetis verticillos cellularum corticalium distantes formantibus *(Tab. III. 4)* Sub-Genus IV. DASYOPSIS.

Stichidiis a ramulo monosiphoneo indiviso formatis; effoetis verticillos cellularum corticalium subconfluentes formantibus Sub-Genus V. RHODOPTILUM.

** *Stichidiis a ramulo polysiphoneo transformatis et pedicello polysiphoneo suffultis;*

effoetis verticillos cellularum corticalium subconfluentes formantibus *(Tab. III. 5)* Sub-Genus VI. EUPOGODON.

Sub-Genus I. Stichocarpus *Harv.* (mutat. charact. et limitibus) *Tab. III. 1.*

Frons teretiuscula, superne articulata et polysiphonea, inferne nunc corticata, ramulis sæpe pinnatim dispositis, rarius ad apices ramorum subcorymbosis, ramellos monosiphoneos gerentibus. *Stichidia* a ramulo polysiphoneo transformata et pedicello polysiphoneo suffulta, brevissime articulata, articulis omnibus initio conformibus, verticillo cellularum cubicarum cinctis, dein alternis fertilibus et sphærosporas generantibus, alternis sterilibus sub grandescentia sphærosporarum oppressis; articulis omnibus demum conformibus, verticillis cellularum cubicarum contiguis obtectis.

Species Dasyæ, quas ad Stichocarpum et Pachydasyam refero, stichidiorum articulis alternis fertilibus, et alternis sterilibus ab aliis omnibus dignoscuntur. Dum in aliis subgeneribus articuli stichidiorum jam juveniles a duabus seriebus superpositis cellularum compositi adparent; articuli stichidiorum in Stichocarpo unico verticillo polysiphoneo constituuntur. Si omnes articuli ejusmodi stichidii fierent fertiles, spatium deficeret sphærosporis, sub evolutione magnopere grandescentibus. Hinc alterni articuli steriles manent, et harum cellulas fere oppressas diceres sub evolutione sphærosporarum in articulis fertilibus. Elapsis sphærosporis, cellulæ oppressæ denuo expanduntur et stichidium effoetum obtegitur verticillis contiguis cellularum subcubicarum (cfr *Harv. Phyc. austr. tab.* XXXI. *fig. 4*).

Ut in speciebus Polysiphoniæ species corticatæ et ecorticatæ invicem proxima affinitate sæpe junguntur, ita quoque in Dasyæ speciebus disponendis non licere ecorticatas species a corticatis disjungere, mihi certum videtur. Hinc inter Stichocarpos, quorum plurimas species ecorticatas vidi, nonnullas corticali strato diversas, alio respectu congruentes, assumere non dubitavi. Subgenus igitur, quod nomine Compsoteiæ assumsit Harvey, hodie non adoptandum putavi.

In speciebus Stichocarpi, quarum plurimæ ecorticatæ manent, facilius adpareat numerum siphonum pericentralium in diversis speciebus alium obvenire. His igitur potissimum insistens, species sequenti modo disponere conatus sum.

φ. Siphonibus pericentralibus 7—9.

† *Frondibus fere a basi ecorticatis, articulatis et polysiphoneis.*

1. Pectinato-ramulosæ, *nempe decomposito-pinnatæ pinnis ramulisve sæpe distichis.*

* *Pinnis ad geniculum quodque 4 exeuntibus.*

1. D. subsecunda *Suhr. J. Ag. Sp. p. 1181; Harv. Ner. tab. XXVII.*

In oceano pacifico ad littora Americæ calidiora.

2? D. pellucida *Harv. Ner. Austr. p. 67 tab. XXVII.; J. Ag. Sp. p. 1181; Kütz Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 94.*

In oceano australi ad C. b. Spei, et Novæ Hollandiæ australis.

Minime certum mihi videtur plures species diversas sub hoc nomine non intellectas fuisse. Harvey l. c. Capensem speciem depinxisse patet. In fragmento plantæ Capensis, quod vidi, ramuli ad geniculum quodque secundum a rachide proveniunt, nec ad geniculum quodque quartum, ut ex icone Harveyana concludere liceret. Nostrum specimen ad Muysenberg collectum dicitur.

Postea Harvey (in *Mar. Bot. of West. Austr. p. 543*) specimina quædam Novæ Hollandiæ, ad King Georges Sound lecta, ad eandem speciem retulit, adjecta tamen observatione plantam Novæ Hollandiæ magis squarrosam obvenire quam Capensem, alio respectu vero non diversam esse. In *Synopsi Phyc. Austral.* speciem Novæ Hollandiæ memoravit, at tantum ad Port Phillip lectam. Ex hoc loco plura denique habui specimina, nunc usque bipollicaria, at magis divaricato-expansa, dum planta Capensis erectiuscula et magis stricta videtur. Frondem in nostris vidi ab ima basi ecorticatam, et ramulos primarios a rachide ad geniculum quodque 4:tum exeuntes; ramelli monosiphonei rigidiusculi, a latiore basi acuminati. Stichidia bene evoluta sunt utrinque obtusa, oblongo-lanceolata, sphærosporis in verticillo paucioribus — vix ultra 4 putarem — sæpe tantum 2 oculo adversis. Structuram stichidii vidi, qualem in Sub-genere Stichocarpi normalem hodie describere conatus sum. Cystocarpia in ramulo majori polysiphoneo sessilia, basi ovato-inflata, acumine brevi. Pericarpium inferius cellulis angulatis-subcubicis contextum; superior pars (carpostomium) acuminata cellulis in lineas longitudinales seriatis. Siphones pericentrales 7 observavi in rachide transversaliter secta, ut hoc proximis normale putarem. Formam hane Novæ Hollandiæ *Das. Microcladioidem* interea nominavi.

** *Pinnis ad geniculum quodque secundum exeuntibus.*

3. D. australis *J. Ag. Sp. p. 1183; (D. subsecunda) Harv. Alg. Austr. n:o 211.*

Ad Port Jackson Novæ Hollandiæ.

Stichidiorum structuram vidi, qualem Subgeneri characteristicam describere conatus sum; quoad formam, eadem vidi lancoidea, nempe a basi eximie ovata, superne in acumen producta. Ramulis ad geniculum quodque secundum exeuntibus species a prioribus diversa videtur. Cæterum descriptionem videas l. c. datam.

2. Squarroso-ramulosæ, *nempe decomposito-pinnatæ, pinnarum ramulis sub-sqarroso-divergentibus.*

4. D. squarrosa *Hook. et Harv. mscr.; J. Ag. Sp. Alg. p. 1184.*

Ad Novam Zelandiam.

5? D. Archeri *Harv. Fl. Tasm. n:o 304; J. Ag. Sp. p. 1197.*

Ad oras Tasmaniæ.

Species mihi quoad affinitates dubia. Harvey speciem, paucis speciminibus observatam, *D. Muelleri* proximam judicare videtur. Ex fragmento, quod vidi, rachidem plantæ parvulæ ecorticatam, siphonibus pericentralibus 6—7 circa centralem majorem contextam putarem. Ramificationis normam admodum insolitam suspicor, nempe ramis primariis ad geniculum quodque secundum egredientibus, dein interjectis ad genicula intercedentia quasi secundariis minoribus, omnibus sursum ramellosis quasi pectinatis at ramellis elongatis, dextrorsum et sinistrorsum divaricatis, a basi latiore acuminatis. Rachides Polysiphoniam fere referunt, articulis polysiphoneis diametro circiter æqualibus; at ramelli superne monosiphonei, speciem esse Dasyæ probare videntur.

†† Frondibus sursum longius corticatis, ramulis basi polysiphoneis, apice in ramellos monosiphoneos abeuntibus, ramellis monosiphoneis rarissime a cortice pullulantibus.

1. Pinnatim ramulosæ *nempe ramulorum fasciculis mollioribus bifariam ad geniculum quodque secundum exeuntibus.*

6. D. Muelleri *(Sond. mscr.) J. Ag. Sp. p. 1196; Harv. Phyc. Austr. tab. XXXI.* (partim).

Ad Novam Hollandiam australem et Tasmaniam.

Plura specimina sub nomine D. plumigeræ a Harveyo, specimina australasica distribuente, errore quodam confusa fuisse, olim memoravi; quin immo dicere ausus sum specimen capsuliferum a Harveyo distributum (in nostra collectione) ad *D. Gunnianam* pertinere. Postea specimina capsulifera tum *D. Muelleri*, tum *D. struthiopennæ* comparare mihi contigit, ex quibus dubitandum mihi videtur anne fragmentum capsuliferum, a Harvey in icone pulcherrima depictum, ad *D. Muelleri* revera pertineret. Cystocarpia nimirum *D. Muelleri* vidi ovata, in ramulo polysiphoneo lateraliter sessilia, supereminente parte ramuli fructiferi longiore et adhuc eximie comosa. In *D. struthiopenna* cystocarpia duplo fere majora in ramulo polysiphoneo brevi adparenter terminalia, ramellis paucis infra cystocarpium bracteantibus suffulta. Adspectu et forma cystocarpia *D. struthiopennæ* cum iis D. Gunnianæ fere conveniunt; at ipsæ hæ plantæ ramificationis norma facilius dignoscantur.

Stichidia D. Muelleri observavi *(Tab. III. 1)*, qualia Subgeneri Stichocarpi characteristica describere conatus sum; nimirum a ramulo polysiphoneo transformata et pedicello polysiphoneo, unico articulo sæpe constante suffulta. Juvenilia constant cellulis angulato-rotundatis (fere cubicis), in articulos plurimos brevissimos conjunctis, omnibus conformibus. In adultiore stichidio alterni articuli *fertiles* continent sphærosporas, in verticillo numerosas; alterni articuli *steriles*, evolutione sphærosporarum in vicinis articulis fiunt depressi. In effoeto stichidio cellulæ depressæ, liberiore spatio recepto, formam cubicam priorem recuperant. Hinc tota superficies senilis stichidii talis adparet, qualis in icone Harveyana sat bene redditur (nec superficies, ut in typicis Dasyæ speciebus, variegata adparet, verticillis cellularum corticalium cum cellulis ecorticatis (antea sphærosporiferis) alternantibus).

7. D. struthiopenna *J. Ag. Sp. p. 1193; D. plumigera partim Harv.; D. Muelleri Harv. Phyc. Austr. tab. XXXI. quoad fig. 2.*

Ad Novam Hollandiam austro-occidentalem.

Specimina stichidiis instructa hujus speciei non vidi. De capsulifera planta mox supra dixi.

2. Decomposito-pinnatæ, *nempe pinnis pinnulisque demum rigidiusculis subdistiche, ad geniculum quodque secundum, exeuntibus.*

8. D. COCCINEA *(Huds.) J. Ag. Sp. p. 1185; Harv. Phyc. Brit. tab. CCLIII.; Tricholhamnion hirsutum Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 90; Tr. gracile Kütz l. c. ibm.*

In Oceano atlantico a Bahusia usque ad Tingin.

Quamquam hujus non paucæ exstant descriptiones et icones, tamen structuram stichidii hucusque vix rite descriptam fuisse putarem. Hoc nimirum respectu typum offert, quem Stichocarpi speciebus characteristicum censeo. Stichidia juvenilia siliquam polysiphoniam, brevissimis articulis contextam, singulis articulis verticillo cellularum cubicarum constitutis, referunt. Stichidium adultum constat articulis alternis fertilibus, alternis sterilibus ob expansionem sphærosporarum depressis. In effoeto stichidio tota superficies obtecta adparet cellulis cubicis, in articulos brevissimos et omnes fere conformes conjunctis. Stichidium ramello polysiphoneo brevissime pedicellatum. Cystocarpium in ramulo brevi polysiphoneo subterminale adparet, ramellis rigidiusculis involucratum; nucleum cystocarpii constare vidi filis dichotomis fasciculatis, ramis elongatis, submoniliformiter in articulos divisos, terminali articulo obovato, inferioribus oblongis; emisso gemmidio terminali, hoc fit magis rotundatum; inferioribus articulis, ut suspicor, dein eodem modo mutatis.

3. CORYMBOSO-RAMULOSÆ, *nempe ramulorum fasciculis ad apices ramorum congestis, ramis inferioribus dissitioribus, ad geniculum quodque 5—7-mum quoquoversum exeuntibus.*

9. D. GUNNIANA *Harv.; J. Ag. Sp. p. 1200; Harv. Ner. Austr. p. 59 tab. XVII.: Kütz. Tab. Phyc. Vol. XIV.tab. 80; et D. Lawrenciana Harv. l. c. tab. XVIII.; Kütz. l. c. tab. 70.*

In oceano australi ad littus Tasmaniæ et Novæ Hollandiæ australis.

Stichidia, qualia Sub-Generi characteristica censeo, in hac quoque observavi.

10. D. GIBBESII *Harv. Ner. Bor. Amer. p. 59 tab. XV. A.: J. Ag. Sp. p. 1199; Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 76.*

In Oceano Atlantico ad littus Floridæ.

Stichidia observavi, qualia Sub-Generi characteristica censeo. Sunt a ramulo polysiphoneo transformata, et pedicello polysiphoneo insident. Articuli stichidii juvenilis unica serie cellularum cubicarum cincti adparent; et effoeti cellulis contiguis eodem modo dispositis cinguntur. Alterni articuli fiunt fertiles, alterni steriles manent. Ob intumescentes sphærosporas cellulæ articulorum sterilium ita depressæ, ut lineam parum conspicuam efficere videantur inter articulos sphærosporiferos.

γγ. SIPHONIBUS PERICENTRALIBUS 10—12.

† Frondibus deorsum longius corticatis, articulatis et polysiphoneis.

1. PECTINATO-RAMULOSÆ *nempe decomposito-pinnatæ, pinnis ramulisve subdistichis.*

* *Pinnis ad geniculum quodque quartum exeuntibus.*

11. D. TESSELATA *Hook. et Harv.; J. Ag. Sp. p. 1183.*

Ad oras Novæ Zelandiæ.

Fructibus hujus speciei mihi adhuc ignotis, ob numerum congruentem siphonum pericentralium speciem sequentibus proximam conjicio.

** *Pinnis ad geniculum quodqud secundum exeuntibus, inferne subdistichis, superne densioribus subfasciculatis, nunc subspongiosis.*

12. D. MULTICEPS *Harv.; J. Ag. Sp. p. 1195; Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 77.*

Ad littus Novæ Hollandiæ austro-occidentalis.

In planta hodie a me examinata siphones pericentrales 11 observare credidi (nec 8, ut in Spec. Algar. errore quodam dixi). Stichidia vidi quoad structuram cum iis congruentia, quæ huic Sub-Generi characteristica censeo; nimirum a ramulo polysiphoneo transformata, et pedicello polysiphoneo suffulta, articulis alternis fertilibus, alternis sterilibus.

13. D. STUPOSA *J. Ag. Sp. Alg. p. 1197; D. crassipes Harv. in Alg. Ceyl.*

Ad oras Ceylonæ.

Numerum siphonum pericentralium in Spec. Algar. 7—9 dixi; at, ni fallor, sunt normaliter 11.

14. D. CRASSIPES *Harv.; J. Ag. Sp. p. 1198; Kütz. Tab. Phyc. Vol. XIV. tab. 72.*

Ad oras austro-occidentales Novæ Hollandiæ.

Stichidia congruentia cum iis, quæ Sub-Generi characteristica censeo, observavi. Sunt ad apices ramorum densissime congesta, ramulis sterilibus intercedentibus paucissimis aut fere nullis.

2. SQUARROSO-RAMULOSÆ *nempe ramulis pinnatim dispositis, ramellis quoquoversum squarroso-divergentibus.*

15. D. WRANGELIOIDES *Harv. Mar. Bot. of West. Austr. et Phyc. Austr. tab. CLXXIV.; J. Ag. Sp. p. 1192; Kütz. Tab. Phyc. Vol. XIV. tab. 79.*

Ad Novam Hollandiam austro-occidentalem.

Præcedentibus proxima, ramulis squarrosis facilius dignoscatur. Sectione transversali siphonibus 10—12 fere ecorticatis polysiphonea adparet. Stichidia juvenilia ovato-lanceolata, nunc fere omnino sessilia, qualia pinxit Harvey: adultiora vidi ramulo polysiphoneo suffulta, et a ramulo polysiphoneo transformata; quoad structuram cæterum convenientia cum iis, quæ Stichocarpo characteristica censeo. Cystocarpia frustra quæsivi. Harvey eadem ad ramum majorem sessilia pinxit.

†† Frondibus sursum longius corticalis, superne polysiphoneis.

16. D. Curdieana *Harv. mscr.; J. Ag. Sp. p. 1189.*

Ad oras Novæ Hollandiæ australes.

Hanc in sua Sectione analogam dicerem *D. Gunnianæ* et *D. Gibbesii* in antecedente: est nimirum sursum longius corticata, at siphonibus pericentralibus 12 instructa.

Species Algarum scribens plantam cystocarpiis instructam tantum observaveram; hodie quoque stichidiis instructam videre contigit. Hæc ramulis magis ad apices ramorum congestis insignis videtur, inferioribus ramis longius separatis, articulis 4—6 proximos separantibus. Articuli inferiores corticati, superiores polysiphonei diametro circiter æquales; polysiphonei ramellorum sunt diametro fere duplo breviores, monosiphonei suo diametro paulo longiores. Ramelli monosiphonei crassiusculi et firmi at incurvati. Inter corymborum ramulos vidi stichidia ovata, crassa, pedicello polysiphoneo, pluribus articulis constituto, suffulta, et cæterum structuram offerentia, quam Stichocarpo typicam supra describere conatus sum. Sectione transversali pericentrales siphones 12 circa centralem majorem dispositos, et in ramulo paulo inferiore jam strato corticali obductos, vidi.

Obs. Species præterea nonnullas ad Sub-Genus Stichocarpi pertinentes putarem; at has aut icone tantum mihi cognitas *(Dasya pectinata Harv. Ner. Austr. tab. XXVII.*, quæ siphonibus pericentralibus 4 ab aliis omnibus distincta videtur); aut quoad structuram stichidii mihi ignotas (Spec. nempe Dasyæ subecorticata, e Nova Hollandia austro-occidentali, siphon. pericentr. 12, ramis ad geniculum quodque quartum egredientibus diversa) — hoc loco prætermittendas putavi.

In *Tab. Phyc. Kütz. Vol. XIV. tab. 78 Dasya calliptera Sond. Herb.*, quæ ex Port Jackson a Harvey missa videretur. Hæc tantum sterilis depicta. Anne D. pellucidæ (D. Microcladioidi) hæc proxima esset?

Sub-Genus II. **Pachydasya** *Tab. III. 6.*

Frons teretiuscula polysiphonea et fere tota corticata, ramellisque monosiphoneis crassiusculis obtecta. *Stichidia* a ramellis monosiphoneis extimis transformata et pedicello monosiphoneo insidentia, brevissime articulata, articulis

omnibus initio conformibus, verticillo cellularum cinctis, dein alternis fertilibus sphærosporas generantibus, alternis sterilibus, sub grandescentia sphærosporarum parum depressis; articulis omnibus demum conformibus, verticillis cellularum contiguis obtectis.

Unicæ speciei et antea non descriptæ, inter *Stichocarpum* et *Rhodonema* quoad formationem stichidiorum omnino intermediæ, novum Sub-genus instituere cogor. Stichidia ejusdem nimirum vix cum alia specie congruentia dicere auderem. Ut in Rhodonematibus, stichidia a ramulo monosiphoneo transmutato formantur, et pedicello monosiphoneo insident; articuli vero ipsius stichidii non a duplici serie cellularum constant, quarum superiores evadunt fertiles, inferiores vero bracteantes et steriles, ut in Rhodonematibus; sed articuli stichidiorum, ad normam Stichocarpi, simplici serie polysiphonea componuntur. Ut in his articuli alterni prægnantes fiunt, alternis sterilibus. At steriles articuli, ob sphærosporas minus, ut putarem, intumescentes, non æque oppressi in *Pachydasya* mihi adparuerunt. A Stichocarpis cæterum evidentius differt Pachydasya in eo quod stichidia non a ramulo polysiphoneo transformato, sed a monosiphoneo oriuntur, et pedicello monosiphoneo insident. Dubitavi cæterum an Speciem novam Lophocladiis adnumerarem; at sphærosporas in articulo verticillatas videre credidi. Denique addere placet quandam esse adspectus similitudinem inter stichidia *D. Wilsonis* et *D. Ceramioidis*, ita nempe, ut in utraque specie stichidia longiore pedicello monosiphoneo sustinentur, et ob crassitiem membranæ cellularum sphærosporæ interiores minus conspicuæ fiunt; quoad ipsam structuram stichidii species allatas ad diversa Subgenera referendas esse, mihi tamen vix dubium adparuit. Stichidia effoeta quoque alium adspectum offerre, patet.

17. D. Wilsonis *(J. Ag. mscr.)* fronde teretiuscula corticata, ramis subdichotomis superne in corymbos laxiores conjunctis, inferne subpinnatim dispositis decomposita, et fere a basi ramulis monosiphoneis densissime dispositis subspongiosa; ramulis vage dichotomis crassis et curvatis, ad genicula contractis, junioribus acuminatis, inferioribus obtusiusculis, apicibus in stichidia brevia, ovato-lanceoidea, pedicello monosiphoneo suffulta, articulis alternis fertilibus, alternis sterilibus, constituta incrassatis.

Ad oras Novæ Hollandiæ australes (I. Br. Wilson!).

Frons semipedalis et ultra, habitu *Dictyurum teretem* paulisper referens, at major et sparsius ramosa, ramis patentibus nunc adparenter dichotomis, superioribus sub-corymbosis,

inferioribus magis pinnatim dispositis. Rachides ramorum a superficie adparent cellulosæ, cellulis oblongis; transversali sectione monstrant axem interiorem polysiphoneum et dense corticatum. Ramuli a corticali strato, ut videtur, provenientes, subfasciculatim collecti, ab ima basi monosiphonei, crassi et rigidiusculi, parce dichotomi aut magis vage ramosi, ramis sæpe incurvis, junioribus a basi paulo crassiore attenuatis apice subacuto, adultioribus obtusis; a fasciculo ramulorum alii ramuli decumbentes, secus superficium rachidis adpressi, dein novos fasciculos generant. Quia ramuli in apice ramorum breviores molliores et magis incurvi, apices ramorum tenuiores adparent; inferiore ramorum parte magis squarroso-ramulosa. Articuli ramulorum monosiphonei sunt diametro $1\frac{1}{2}$—2-plo longiores. Stichidia ex apicibus ramellorum monosiphoneis transmutata, et pedicello longiore monosiphoneo suffulta, sunt admodum brevia, ovato-ovalia aut sublancoidea, apiculo obtuso terminata, sphærosporis intumescentibus verrucoso-inæqualia. In stichidio juvenili articulos vidi unica serie cellularum constitutos; in adultiore stichidio alternos articulos fertiles, paucioribus sphærosporis in verticillo prægnantes; alternos steriles sub grandescentia sphærosporarum non admodum oppressos; in effoeto stichidio articulos omnes subconformes, cellulis subcontiguis cellulosos.

Ramuli monosiphonei quam in plurimis crassiores, non absimiles iis, quos in D. scopulifera pinxit Harvey, at magis compositi.

Sub-Genus III. **Rhodonema** *Harv.* (mut. char. et limitibus) *Tab. III. 2 et 3.*

Frons teretiuscula polysiphonea, rarius subecorticata, sæpissime filis extra siphones a ramulis decurrentibus corticata; ramulis basi polysiphoneis, apice monosiphoneis, sæpe interspersis aliis a cortice pullulantibus totis monosiphoneis. *Stichidia* a ramello laterali monosiphoneo transformata et pedicello monosiphoneo insidentia, brevissime articulata articulis omnibus fertilibus, singulis duplici serie cellularum constitutis, superioris seriei cellulis fertilibus sphærosporas subecorticatas generantibus, inferioris seriei sterilibus, quasi bracteantibus, cellulas corticales sustinentibus; his demum (in stichidio effoeto) verticillos cellularum corticalium inter spatia ecorticata formantibus.

Comparanti diagnoses hoc loco datas diversorum subgenerum pateat, ut sperarem, stichidia ad typos ita diversos esse conformata, ut Genera diversa in his latere, facilius quis crederet. Quod Rhodonematis nomine conservavi, hoc Dasyas quasi genuinas comprehendit. Fere in omnibus speciebus, huic adnumeratis, structuram supra descriptam stichidiorum adesse propria observatione didici. In iis, quorum stichidia mihi ignota permanent, hoc expressis verbis infra dixi.

In nonnullis evidentissime videre credidi ramellum monosiphoneum, jam antea longioribus articulis formatum, quasi nova divisione fieri in articulos multo breviores, at latiores subdivisum, articulo infimo et supremo (aut forsan supremis pluribus) nova hac divisione non tactis. In aliis speciebus jam cum formatione ramellorum nonullos breviores et crassiores, quasi ad stichidia generanda destinatos, formari, quoque observare credidi. Fere in omnibus speciebus ramuli, qui in stichidia abeunt, sunt in fasciculo ramellorum laterales; et interspersis ramellis sterilibus alia stichidia inferiora, alia superiora in eodem fasciculo proveniunt. Utrum promiscue ita sita quasi sine ordine disponerentur, an in certis speciebus formarentur in fasciculo superiora, in aliis inferiora, de hoc nihil certi hodie statuere auderem. Ramelli, qui ita in stichidia mutantur, toti — excepto tantum articulo infimo, qui in pedicellum abit, et si supremi quidam adsint nondum subdivisi — in stichidium abeunt. Unica tantum species *(D. Ceramioides)* hoc respectu mihi paulisper diversa adparuit, utpote in hac ramellorum pars superior tantum transmutata obvenit, dum fere dimidia pars inferior (pluribus articulis superpositis sæpe constituta) transformatione non tangitur. — Hoc modo in longe plurimis stichidia, a ramello simplici transformata, quoque simplicia siliquæformia generantur; unicam vero observavi speciem *(D. atacticam)* cujus stichidia superne ramellis obsita manent; hæc igitur a ramulo monosiphoneo ramellis obsito transformata oriri, assumere ausus sum. Quoad structuram stichidii, hanc alio respectu abnormem haud vidi; attamen modo dicto abludentem ad proprium Sub-Genus relegare, satius duxi.

Ut in Polysiphoniis apices ramellorum monosiphonei generantur, singulis articulis vero subdivisis mox fiunt polysiphonei; ita in stichidio Rhodonematum singulos articulos supremos videre licet initio monosiphoneos, mox vero subdivisos; at cellulas minutas et fere rotundatas, quæ divisione oriuntur, mox per duas series in quoque articulo superpositas observavi, quarum superior series sphærosporas generat, inferior vero cellulas steriles, quasi bracteales superioribus permanent. Quot sunt siphones pericentrales in fronde cujusque speciei, tot putarem sphærosporas in verticillo cujuscumque articuli generari posse, si quoque abortientibus nonnullis omnes non evolutæ adessent. Cellulæ seriei inferioris subdividuntur ulterius, ita ut aliæ *interiores* — ut mihi adparuit cum sphærosporis alternantes, siphonibus exterioribus (pericentrales in fronde proxime cingentibus) respondentes, — aliæ *exteriores* corticales fiunt, et demum, saltem duplo numerosiores, in stichidio effoeto verticillos corticalium cellularum efficiunt,

qui inter spatia sphærosporis emissis vacua disponuntur. Sub magno incremento sphærosporarum, hæ cellulæ steriles ex ordine suo primario plus minus distrahuntur et demum inter verticillos sphærosporarum, qui in proximis articulis evolvuntur, ita depressæ obveniant, ut ordinem et situm difficilius recognoscere liceat. Quoad formam externam stichidia in omnibus speciebus sensim mutari, jam in Speciebus Algarum monui; juniora nimirum esse breviora, sensim fieri longiora, novis nimirum articulis apice formatis, increscentibus continuo (sub maturescentia sphærosporarum) adultioribus. Attamen in diversis speciebus ita quandam diversitatem formæ adesse puto, ut in nonnullis stichidia initio magis ovata, in aliis magis conica obveniant; in illis adultiora fiunt magis oblonga, in his ambitu magis lanceoidea aut conico-elongata. Sphærosporas ordine adscendente maturescere; verticillos nimirum infimos primum, dein insequentibus superioribus, hodie certius constat. Hinc videre licet infimos articulos jam effoetos, medios fertiles, summis vix formatis. Species igitur alias invicem ita differre, ut in diversis articulis stichidii sphærosporas generarent, quod aliquando statuerunt, omnino erroneum censeo.

Antheridia fere iisdem locis sæpius provenire putarem, in quibus stichidia in aliis individuis generantur; a ramulo monosiphoneo quoque, quantum memini semper transformata. In nonnullis apicem ramelli transformatione intactum vidi, et antheridium filo longiore articulato superatum, ut hoc quoque observarunt alii.

Cystocarpia quoad formam in diversis Speciebus paulisper diversa obvenire, jam supra monui. Sunt nimirum in nonnullis breviora, fere ovata, carpostomio in apice parum producto; in aliis generantur magis elongata ob carpostomium magis productum; quæ in his adhuc *juniora* sunt, formam fere urceolatam monstrant; eadem vero *adultiora* et nucleo majore instructa, inferne subglobosa fiunt superne stylo cylindraceo superata; ita omnino *ampullacea* adparent. Quoad situm cystocarpia ita in omnibus convenientia putarem, ut ex rachide rami aut ramuli polysiphonei lateralia generarentur. Dum vero in nonnullis Speciebus ex rachide rami majoris lateralia excrescunt, et in rachide oblique sessilia adparent, sunt aliæ species in quibus in ramulo minori generantur. Characteribus ex hoc situ diverso petitis in Speciebus disponendis usus sum; licet agnoscere opportet cystocarpia in haud paucis speciebus nondum a me inventa fuisse.

Characteribus a numero et dispositione Siphonum pericentralium petitis in Speciebus disponendis hujus subgeneris uberius uti nolui, quum (sectione transversali rami densius corticati) siphones pericentrales ab exterioribus proximis ægre

dignoscantur. Ni fallor sunt in plurimis 5; et totidem exterioribus in nonnullis immediate cinguntur; *(D. urceolata, D. capillaris, D. frutescens, D. Cliftoni)*; in aliis inter tubum axilem et ipsos siphones pericentrales mox numerosæ proveniunt cellulæ interstitiales, quibus primaria structura fit obscurior *(D. ceramioides, D. pachyclada)*; in densius corticatis fila a ramulis decurrentia quasi numerosis stratis siphones primarios obtegunt.

Si igitur in disponendis Speciebus ipsa structura frondis insistere dubitavi, vix alii mihi restabant characteres, quam qui ab indole et dispositione ramorum ramulorumque deducantur. His itaque præcipue usus sum, sperans hoc modo Tribus quasdam, naturæ congruentes speciebus numerosis creare. Prout autem in Speciebus diversis cystocarpia obveniunt aut in ramo majore et non mutato sessilia, aut in ramulo minore, plus minus in pedicellum mutato, adparenter terminalia, alias Tribus naturales his diversitatibus indicari putavi. Duplicem igitur seriem Tribuum assumere ausus sum, quarum singulæ unius seriei singulis alterius fere analogæ censeantur. Si quasdam Species, quarum cystocarpia adhuc ignota manent, ad seriem retuli cui non pertineant, ut hoc ignoscant justi difficultatum æstimatores precor.

Species et Tribus sequenti modo disponere, igitur conatus sum:

A. *Cystocarpiis in ramo sessilibus.*

Tribus (1 A.) 1. **Ocellatæ.**

18. D. ramosissima.
19. D. ocellata.

Tribus (2 A.) 2. **Hapalathricæ.**

20. D. punicea.
21? D. Hussoniana.
22. D. Crouaniana.
23. D. Harveyi.
24. D. hapalathrix.

Tribus (3 A.) 3. **Crispulæ.**

25. D. Meredithiæ.
26. D. Haffiæ.

Tribus (4 A.) 4. **Heteronemeæ.**

27. D. frutescens.
28. D. Cliftoni.
29. D. elongata.

B. *Cystocarpiis adparenter pedicellatis.*

Tribus (1 B.) 5. **Penicillatæ.**

34. D. venusta.
35. D. corymbifera.

Tribus (2 B.) 6. **Pedicellatæ.**

36. D. capillaris.
37. D. elegans.
38. D. villosa.

Tribus (3 B.) 7. **Hirtæ.**

39. D. mollis.

Tribus (4 B.) 8. **Arbusculæ.**

40. D. Wurdemanni.
41. D. arbuscula.
42. D. pacifica.

30. D. pachyclada.
31. D. velutina.
32. D. Naccarioides.
33. D. Tasmanica.
43. D. scoparia.
44. D. collabens.
45. D. urceolata.

Tribus (5 B.) 9. **Subuliferæ.**
46. D. Ceramioides.

Trib. I. **Ocellatæ** rachidibus ramorum dense corticatis, frondibus brevioribus sæpe deorsum longius penicillatis, apice ocellatis [1]), penicillis junioribus mollissimis a basi parum crassiore tenerrimis, ad apices ramorum congestis, intimis corymbi moniliformibus erectiusculis, exterioribus incurvis involucrantibus; ramellis penicillorum adultioribus sensim firmioribus, a basi vix crassiore elongatis, curvatis (demum, ni fallor, a rachide persistente dejectis). Cystocarpiis in ramis minoribus sessilibus, ovato-globosis (fide Harvey).

18. D. RAMOSISSIMA *Harv. Ner. Bor. Amer. p. 61 et suppl. p. 127; J. Ag. Sp. p. 1227; Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 69.*

Ad oras calidiores Americæ.

Suadentibus apicibus ocellatis speciem D. ocellatæ proximam suspicor. In apicibus ramos terminantibus obveniunt ramelli admodum conspicui, crassiusculi, breviter articulati (articulis diametro brevioribus), ob genicula eximie contracta moniliformes, apice evidenter attenuati; intimi horum rectiusculi et sursum porrecti, proxime sequentes conformes at incurvi; in exterioribus articuli sensim excrescunt, fiunt diametro sesquilongiores, et sensim magis cylindracei; filis his exterioribus adhuc incurvatis quasi involucrum corymbo ocellato formantibus. Exteriores ramelli magis excrescentes fiunt patenter dichotomi, articulis cylindraceis, inferioribus crassis et firmis diametro sesquilongioribus, sequentibus paulo longioribus. Ad furcas inferiores nunc ramellum incvolutum vidi, quem postea in stichidium mutari putarem. Ramellorum adultiorum partes supremas simpliciusculas et elongatas sensim dejectas fieri, persistente adhuc parte inferiore bis aut ter furcata; has partes demum quoque dejectas, et totam rachidem inferiorem denudatam fieri, specimina docent. Rachides ita denudatæ sunt superne tenuius corticatæ, filis decurrentibus tenuioribus subsingulis inter siphones latiores dignoscendis. Articuli polysiphonei his locis diametro paulo longiores, Stichidia in nostris parum evoluta; eadem vero quoad structuram convenire cum aliis, Subgeneri typi-

[1]) Obtinet aliquando in Florideis filiformibus articulatis ut ad apices ramorum obveniant ramelli juveniles, sub forma propria diutius persistentes, et sub hoc stadio a ramellis evolutis ita diversi ut quasi heterogenei adpareant. Plerumque dignoscantur articulis multo brevioribus et endochromate intensius colorato facilius conspicuis. Non tantum in *Dasyæ* Speciebus, sed etiam in *Callithamniis* (*C. mucronatum*) hi ramelli obveniunt. Species his instructas aliquando *ocellatas* denuminarunt Algologi, proprio charactere termini prætermisso.

cis, dignoscere putavi. Cystocarpia in nostris frustra quæsivi. Harvey denique eadem descripsit in ramis minoribus sessilia, ovato-globosa, ore parum protracto, intra pericarpium tenue nucleum magnum foventia.

19. D. OCELLATA *Gratel; Harv. Phyc. Brit. tab. XL.; J. Ag. Sp. p. 1207; Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 61; Zanard. Icon. Adriat. tab. XLII. A.*

Ad littora calidiora Europæ, tum occidentalia, tum australia.

Duas formas hujus obvenire, mihi vix dubium videtur. In una penicilli mollissimi, ramellis (supra partem inferiorem penicilli parcius dichotomam) admodum elongatis, simpliciusculis, a basi sursum vix conspicue attenuatis; hanc a Harvey et Zanardini depictam videas. In altera penicilli multo firmiores, et densius furcati, ramellis superioribus rigidiusculis sæpe incurvatis; hanc a Kützing l. c. depictam puto. Hæc ultima D. arbusculam magis refert, at ab hac dignoscatur rachide crassiuscula, dense corticata, et ramellis nusquam ad genicula contractis.

Corticale stratum admodum densum D. ocellatæ, filis conformibus decurrentibus contextum, rachides perennantes indicare, facilius crederes; ramellos in rachide hac firmiore nunc sparsiores et tenuissimos esse, nunc densiores et firmiores forsan suadeant, ramellos demum dejectos fieri a rachide perennante. In planta juniore ocellata vidi corymbos terminales ramellis moniliformibus densissimis constitutos, minus tamen conspicuos quam in *D. ramosissima*; Cystocarpia frustra quæsivi; nec ab alio observata scio. Stichidia, qualia sub-Generi characteristica dixi, me in hac quoque observasse, dixisse placet.

Tribus 2. **Hapalathricæ** rachidibus sursum longe corticatis, frondibus plus minus elongatis, mollissime penicillatis, penicillorum filis mucosis fere a basi tenerrimis, levissimo quoque motu aquæ flexis, dichotomis axillis acutissimis, cystocarpiis in ramulis minoribus infra apicem persistentem in rachide sessilibus.

* *Species boreales, cystocarpiis in ramulo incurvo (sæpe) singulis.*

20. D. PUNICEA *Menegh. mscr.; J. Ag. Sp. p. 1209; Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 61; Zanard. Icon. adriat. tab. LII.*

In mari adriatico et calidiore atlantico.

Specimina vidi plurima sterilia, ad Trieste lecta; fructifera tantum ex Brighton Angliæ, mihi a D:na Merrifield missa. Inter ramellos mollissimos, quibus cinguntur rachides validæ, stichidia siliquæformia facilius dignoscantur; quoad structuram congruentia cum aliis speciebus subgeneris. Cystocarpia rarissima videntur, utpote a nemine descripta; qualia vidi sunt in ramulo breviore corticato et penicillato singula, infra apicem persistentem sessilia, basi ramellis stipata, ovata, quoad formam fere convenientia cum iis *D. venustæ* a Harvey depicta, sensim in apicem attenuata. Pericarpium fere totum constat cellulis in lineas longitudinales seriatis; in parte inferiore lineæ minus evidentes, in superiore infra carpostomium sat conspicuæ, numerosiores.

21? D. Hussoniana *Mont. Syll. p. 425; J. Ag. Sp. p. 1209.*

In mari rubro.

Ignotis adhuc fructibus incertum manet, quibus aliis proxima species disponenda sit. Quoad characteres habituales D. puniceæ proximam judicavi.

22. D. Crouaniana *J. Ag. mscr.* teretiuscula et quoquoversum ramosa, vage subflabellatim dichotoma, rachidibus usque ad apices corticatis et secus totam fere londitudinem penicillato-villosis, penicilloram filis quoquoversum a cortice pullulantibus, a basi monosiphoniis longissimis tenerrimis, acute dichotomis mucosis (exsiccatione confluentibus), articulis cylindraceis diametro 4:plo et ultra longioribus, stichidiis ad furcas ramellorum inferioribus ovato-lanceoideis.

Dasya dichotomo-flabellata Crouan in Maze et Schramm Algues de la Guadeloupe p. 266 (excl. syn. omnibus).

Ad insulas Indiæ occidentalis.

Planta brevior crassa dichotomo-decomposita, ramis subfastigiatis, (in charta subflabellatim expansis); sub certo stadio saltem secus totam longitudinem penicillato-villosis. Rachides crassæ usque ad apices dense corticatæ. Fila penicillata a basi monosiphonea, tenerrima et longissima, inferne acute dichotoma et ita mucosa, ut madefacta fasciculatim cohærent, et his fasciculis longitudine crassitiem rachidis crassæ pluries superantibus specimina exsiccata patenter villosa adparent. Ramelli penicillorum supra furcas inferiores simpliciusculi longissimi et cylindracei, articulis prælongis diametro saltem 4:plo-longioribus. Ad furcas inferiores stichidia vidi in pedicello brevi monosiphoneo ovato-lanceoidea (in nostris adhuc juniora) quoad structuram typum subgeneris referentia.

Plantam D. Hussonianæ et D. puniceæ proximam putarem, utpote cum his natura penicillorum convenientem. Ob penicillos quasi fasciculatim cohærentes exsiccata potius villosa quam mollissime penicillata adparet. Cum D. ocellata, cui ob rachidem crassam et plantam brevem, vix tripollicarem altitudine, et ramellis cylindraceis tenuissimis affinem facilias quis crederet, haud proximam putarem, utpote apices nullo modo ocellatos observaverim.

Ad easdem oras alia exstat planta, sub nomine *Eupogodon Mazéi l. c. pag. 267* enumerata. Equidem pauca specimina hujus liberalitati auctorum quoque debeo. Est hæc planta ramis densioribus plus minus pinnatim dispositis magis decomposita, inferne ut videtur denudata, superne brevius, aut sparsim in ramulis minoribus comosa. In his ramulis comosis stichidia vidi oblonga, jam adultiora, qualia Sub-generi characteristica putavi. Dubitavi anne hoc Eupogodon Mazei formam sub-denudatam Dasyæ Crouanianæ considerarem; Stichidia utriusque plantæ species Rhodonematis, nec Eupogodonis indicare, mihi adparuerunt.

23. D. Harveyi *Ashmead mscr.; Harv. Ner. Bor. Amer. III. suppl. p. 127 tab. L. A.; J. Ag. Sp. p. 1228* (non *Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 71*).

Ad Floridam Ashmead! C. Melvill!

Species Algarum scribens, ipse nulla specimina hujus videram. Hinc hodie pauca de ea addere placet. Ramuli tenuius corticati articulati et polysiphonei adparent, articulis diametro paulo longioribus. Inter ramulos penicilliferos, penicilli monosiphonei quoque a cortice pullulant, filis longis mollissimi; superne fere ad geniculum quodque provenientes, at in inferiore parte sensim evanescentes, ita ut rachides inferne demum tantum ramis obsitæ. Stichidia vidi quoad structuram qualia Subgeneri characteristica dixi; at articulos paucos tantum sphærosporis maturescentibus prægnantes; et has pauciores in verticillo, quasi in stichidio admodum tenui spatium pluribus haud sufficeret. Cystocarpia in ramis minoribus infra apicem persistentem et ramellosum sessilia, et ni fallor singula in rachide paulisper curvata, ut optime eadem pinxit Harvey, ovata ore parum producto, cellulis in lineas longitudinales seriatis.

Cystocarpiorum situ in ramo minori — infra apicem non tabescentem singula — *D. Harveyi* cum *D. punicea* convenire videtur. Perpendenti alias esse species, quas pedicellatas dixi, in quibus singula cystocarpia in ramulo minori adparenter terminalia obveniunt, apice nimirum ramuli sub forma apophyseos ad basem cystocarpii tantum persistente, facile videretur his speciebus transitum parari inter eas species, quas pedicellatas nominavi, et eas in quibus cystocarpia ad rachides ramorum sessilia generantur.

** *Species australes, cystocarpiis in rachide rami sessilibus (nunc pluribus).*

24. D. HAPALATHRIX *Harv.; Phyc. Austr. tab. LXXXVIII.; J. Ag. Sp. Alg. p. 1211; Kütz. Tab. Phyc. Vol. XIV. tab. 63.*

Ad oras Tasmaniæ et Novæ Hollandiæ australis.

Rachides ramorum fere usque ad apices corticatæ; superne ex his proveniunt tum ramuli breves, fere jam corticati, apice in penicillos soluti, tum penicilli a basi monosiphonei. Penicilli constant ramellis a basi parum latiore longe acuminatis, supra axillas acutissimas patentibus et invicem separatis — nec incurvis et corymbosis, nec ocellatis, nec divergentibus — at mollioribus. Rami in inferiore parte fiunt sensim penicillis dejectis denudati, ita ut rachides omnes inferne nudi, superne penicillis subpyramidatis terminati adparent. Stichidia observavi nunc uno, nunc paucis articulis monosiphoneis suffulta, præ-longa lanceoideo-conica, quoad structuram convenientia cum aliis, quæ subgeneri characteristica dixi. Cystocarpia non vidi.

Trib. 3. **Crispulæ** frondibus fere ab ima basi ramelloso-hirtis, et pinnatim decompositis, ramis ramulisque intermixtis quoquoversum egredientibus; ramellis penicillorum juvenilibus mollioribus patentibus fasciculatis, adultioribus divergentibus, nunc squarrosis.

25. D. MEREDITHIÆ *(J. Ag. mscr.)* rachidibus frondis dense corticatis, ab ima basi ramelloso-hirtis et pinnatim decompositis, ramis ramulisque intermixtis quoquoversum egredientibus, penicillorum fasciculis inferne polysiphoneis et

penicillis monosiphoneis promiscue a cortice pullulantibus, ramellis mollioribus supra axillas acutas patentibus, stichidiis ovato-oblongis.

Ad oras Tasmaniæ D:na Meredith; ad Swan Island Miss Baudinet.

Habitu graciliore et molliore a D. Haffiæ recedit. Utraque planta a plurimis aliis dignoscatur fronde admodum pinnatim decomposita, ramis majoribus et minoribus intermixtis, quoquoversum egredientibus, et rachide fere ab ima basi insuper penicillis novis pullulantibus hirta. Ex altera parte penicilli in planta juniore D. Meredithiæ fere omnino penicillos referunt, qui in apicibus ramorum D. hapalatricis obveniunt. Ramelli nimirum monosiphonei sunt a basi crassiore longe attenuati, patentes et invicem distantes supra axillas acutas, quamquam molles haud collabentes. Articuli monosiphonei sunt diametro 2—4:plo longiores. Stichidia structuram normalem Subgeneris offerunt; in pedicello monosiphoneo, singulis aut geminis articulis constituto, sunt juniora ovata et brevia, adultiora oblonga. Cystocarpia non vidi.

D. Haffiæ proximam puto, penicillorum ramis mollioribus et patentibus, nec squarroso-divergentibus diversam.

26. D. Haffiæ *Harv.; Phyc. Austr. tab. CXLIII.; J. Ag. Sp. p. 1237; Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 68.*

Ad Tasmaniam et oras meridionales Novæ Hollandiæ. Sec. Harvey eadem ad Cap. b. Spei obveniret.

Stichidia Subgeneris et cystocarpia in rachide sessilia me vidisse, addere lubet.

Trib. 4. **Heteronemeæ** frondibus plerumque elongatis plus minus dense corticatis; ramulis heteronemeis, juvenilibus mollissimis in apice increscente stipatissimis incurvato-corymbosis; adultioribus (apice molli dejecto) infra apices ramorum persistentibus, rigidiusculis squarrosis, axillis patentibus, ramellis nunc immo divaricatis; cystocarpiis secus rachides ramorum sessilibus, nunc plurimis et fere spicatis.

* *Rachidibus frondis superioris minus dense corticatis, siphones translucentes, filis paucioribus interspersos, monstrantibus.*

27. D. frutescens *Harv. Mar. Bot. Austr. n:o 107; J. Ag. Sp. p. 1225; Kütz. Tab. Phyc. Vol. XIV. tab. 67.*

Ad oras australes et occidentales Novæ Hollandiæ.

Siphones pericentrales vidi 5, circa axilem minorem dispositos, et circa hos novas series, cellulis harum magnitudine sensim decrescentibus, periphericis subangulatis. In fronde (jam adultiore) apices ramulorum vidi ramellis densissimis corymbosos, ramellis exterioribus incurvatis

obtectos, at apices ramellorum minus prolongatos quam in speciebus, quas infra proximas enumeravi. Ramellis inferioribus rigidiusculis et squarrosis cum his sat convenit. Stichidia inter fila inferiora rigidiuscula observavi, structuram quam Subgeneri characteristicam dixi offerentia. Cystocarpia in rachide rami majoris sessilia, globoso-ovata breviter acuminata, pericarpio cellulis magis irregulariter positis contexto, in suprema parte in lineas longitudinales carpostomium cingentes abeuntibus. Specimina a Harvey descripta et distributa plantam minorem 2—3 pollicarem spectant; postea alia habui ex Nova Hollandia australi, a Wilson (sub n:rs 55 et 126) missa, quæ plantam usque pedalem monstrant, alio respectu vix diversam. Hæc evidentius D. elongatæ et D. Naccarioidi speciem proximam vindicant. D. decipiens, a Sondero in Linnæa vol. 26 p. 526, ex Port Phillip descripta, mihi ignota adhuc manet. In Tab. Phyc. vol. XIV. p. 23 a Kutzingio dicitur, D. decipientem et D. Tasmanicam Sonderi ad D. Naccarioidem revocandas esse, illam habitu graciliori, hanc magis contracto præditam.

28. D. Cliftoni *Harv. Bot. of West. Austr. n:o 106; Phyc. Austr. tab. III.; J. Ag. Sp. p. 1194; Kütz. Tab. Phyc. Vol. XIV. tab. 69.*

Ad littus austro-occidentale Novæ Hollandiæ.

Ut intelligatur hæc species, stadia diversa in diversis speciminibus observanda videntur. In tenuioribus et magis juvenilibus vidi ramellos elongatos mollissimos, in apice ramulorum incurvato-corymbosos; in adultioribus reliquias ramellorum persistentes divaricato-ramosissimas et squarrosas, apicibus plurimorum abruptis. Corymbi terminales in his ramis sunt ramellis divergentibus rigidiusculis cincti et ita densissimi, ut dispositio interiorum vix percipere liceat.

In superioribus ramis stratum corticale filis paucioribus, inter siphones translucentes decurrentibus, constare vidi. In inferiore planta stratum corticale densius filis sub-conformibus componitur. Transversali sectione siphones pericentrales 5 vidi interiores, et his proximas totidem exteriores; interstitiales vero cellulas nullas. In speciebus densius corticatis (ex. gr. D. pachyclada) jam in ramo minori siphones pericentrales 5 interstitialibus cinctas observavi; in ramis majoribus harum cellulæ ita densæ ut structura ægre percipiatur.

** *Rachidibus ramorum densius et fere ad apices usque corticatis, cellulis fere cum iis filorum decurrentium conformibus.*

29. *D. elongata *Sond.; Harv. Ner. Austr. p. 63 tab. XXIII.; J. Ag. Sp. p. 1225; Kütz. l. c. tab. 66.*

Ad Novam Hollandiam australem et occidentalem.

Sectione transversali facta, siphones primarias pericentrales 5 videre credidi, et totidem exteriores cum his alternantes, nec octo conformes, qualiter pinxit Harvey: at in Rhodonematibus dense corticatis de numero non facile judicatur. Penicilli terminales corymbosi, apicibus vix proprie acutis, sed in comam tenuissimam longam porrectis; coma demum dejecta apices collapsi forsan acuti adpareant. Stichidia in ramulis infra comam terminalem persistentibus evoluta, quoad structuram congruentia cum aliis, quæ Subgeneri characteristica de-

scribere conatus sum. Cystocarpia demum quoque observare contigit in rachide rami ramellosi sessilia, brevi apiculo terminata, cellulis apiculum constituentibus seriatis, suo diametro parum longioribus.

30. D. PACHYCLADA *Harv. in Syn. Phycol. Austr. sub n:o 285.*

Ad Novam Hollandiam austro-occidentalem.

Fragmentum hujus tantum vidi, et hoc sterile. Ad apices ramulorum ramellos vidi mollissimos, introrsum incurvos; paulo infra apices ramorum ramelli molles dejecti videntur, et reliquiæ eorum persistentes divaricato-ramosissimæ et squarrosæ adparent. Inter *D. elongatam* et *D. velutinam* speciem disponendam esse putarem; magis quam plurimæ subregulariter pinnatim decomposita videtur.

31. D. VELUTINA *Harv. Ner. Austr. p. 63 tab. XXIII.* (partim et exclus. synon.?).

Ad littus austro-occidentale Novæ Hollandiæ (Israeliten bay!).

Duas species habitu simillimas, at revera diversissimas, sub nomine Dasyæ velutinæ descriptas fuisse, mihi vix dubitandum videtur. Unam esse Wrangeliæ speciem (*Wr. velutinæ Harv. et Auct. sequent.*) hodie nullis dubiis vacat; alteram esse Dasyæ speciem, si quidem ex structura frondis hac de re judicare liceat, nec mihi dubium videtur. In *Wrangelia velutina* nimirum tubum centralem permagnum, cellulis minoribus corticalibus cinctum, videre licet; in planta quam Dasyam velutinam Harv. l. c. sistere putavi, tubum centralem minorem, pericentralibus 5 parum majoribus cinctum, sat conspicue vidi. In planta, quæ l. c. a Harvey descripta fuit, structuram Dasyæ agnoscere vix quispiam dubitaret; si quoque siphones pericentrales plures in sua pinxit, quam ipse in nostra observavi. Planta vero, quæ in Ner. Austr. depicta fuerat, postea ab omnibus prætermissa videtur. In *Mar. Botany of Western Australia* Harvey Wrangelium velutinam *p. 546* enumerat, cui Dasya velutina Sond. ut synonymon certum adscribitur. In enumeratione Algarum Australiæ, quam 1880 dedit Sonder, neque ipsius Dasya velutina memoratur, sed tantum Wrangelia velutina. In Nerei. Australi tum specimina Preissiana ex Swan River; tum alia ex Port Phillip a Harvey nuncupata video. Quaenam ex his depinxit, non liquet. Species Algarum scribens Dasyam velutinam Harv. mihi ignotam dixi; postea ex unico loco (Israeliten bay) pauca specimina a Miss Brooke lecta observare contigit, quæ habitum plantæ a Harvey depictæ omnino referunt. Wrangelia velutina, contra, species videtur ad oras Novæ Hollandiæ frequenter obvia.

Dum planta Harveyana, l. c. memorata, 2—3 pollicaris describitur et caule setam crassitie aequante instructa, in nostra vidi caulem quam in plurimis multo firmiorem, crassitie pennam corvinam aequantem et immo superantem, colore fere nigrescentem. Ex hoc caule pullulant locis plus minus distantibus fasciculi ramorum, colore roseo adparenter heterogenei, constituti stipitibus inferne longius nudis, superne ramulisque fere ad basem usque quasi velo ramellorum tectis. Sunt ni fallor hi rami, qui a Harvey ut totam plantam constituentes descripti fuerunt. Rachides ramorum corticatas vidi filis decurrentibus inter siphones conspicue crassiores translucentes; rachides ramulorum vero ecorticatas polysiphoneas, articulis diametro fere duplo brevioribus. In rachide ramorum majorum articuli translucentes

sunt diametro immo triplo breviores. Præter ramulos polysiphoneos minores, qui interjectis pluribus articulis exeunt, numerosissimi proveniunt ramuli monosiphonei, quibus velum rachidem obtegens præcipue constat. Ubi ramuli increscentes in apice ramorum bene evoluti adsunt, hi sunt ocellati fasciculo mollissimo filorum juvenilium; fila nimirum a basi multo crassiore in apicem multo tenuiorem attenuantur; et densissime juxtaposita in rachide brevissime articulata gerunt partes inferiores filorum crassiores et magis coloratas in centro fasciculi terminalis collectas, et quasi cinctas superioribus et exterioribus partibus filorum tenuiorum circumcirca conniventium. Fasciculi terminales et juveniles ramorum constant filis elongatis supra apicem ocellatum incurvis, et apice mollissimis; quo inferiores et adultiores fasciculi, eo magis deficiunt apices mollissimi, fila firmiora videntur et axillæ inter singulos ramellos fiunt patentes, et demum ramellos inferiores gerunt inferne divaricatos, superne incurvos, et quasi corymbis minutis rachidem obtegentes. Apices in ramellis inferioribus demum obtusos vidi, nec acutos, quales in icone Harveyana adparent. Articulos in his breves quoque vidi, diametro duplo-triplo longiores. Sectione transversali quoque in caule crasso siphones pericentrales 5 majores et sat conspicuos observavi, tota exteriore parte cellulis minutis adparenter inordinatis contexta. Fructus in nostris frustra quæsivi.

Ex indole filorum, quæ in apicibus vegetis et parte inferiore ramulorum sunt admodum diversa, concludere auderem plantam affinitate ad *Das. Naccarioidem* et *D. elongatam* proxime accedere. Rami minores, qui in *D Naccarioide* fere ambitu clavati adparent et inferne longius nudi, sunt in *D. velutina* fere ad imam basem ramellis circumcirca obtecti et ambitu cylindracei obveniunt. Rami, a caule crassiore fasciculatim exeuntes, analogiam cum ramis sæpe geminatis D. elongatæ offerre, forsan crederes. — In *D. elongata* articulos polysiphoneos superiores minus conspicuos, ramulorum fasciculos ramellis brevioribus constitutos, et inferiorum partes persistentes breviores magis squarrosas (nec glomerulos corymbosos secus rachidem formantes D. velutinæ) puto. In D. velutina rami quasi velo roseo-albescente velati.

32. D. Naccarioides *Harv. mscr, Ner. Austr. p. 63 tab. XXII.; J. Ag. Sp. p. 1217; Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 64.*

Ad Tasmaniam et Novam Hollandiam tum australem, tum occidentalem.

Speciei sat frequentis specimina habui fere bipedalia, sat regulariter pyramidatim decomposita. Ramelli terminales ramulorum mollissimi; coma molli rejecta, ramuli rigidiusculi persistunt breviores, et ambitus ramuli fit fere clavatus. Stichidia structuram offerunt quam Subgeneri characteristicam censeo; sunt breviora, ovato-oblonga, maturiora obtusissima. Cystocarpia, quantum scio nondum descripta, et forsan raro obvenientia, admodum insignia; sunt in rachidibus ramulorum lateraliter et oblique sessilia, sæpe in eodem ramulo ita densa et numerosa ut fere eadem spicata diceres, quoad formam ovata, adultiora ore producto apiculata, pericarpio cellulis irregulariter quasi positis, terminalibus in fila longitudinalia conjunctis, carpostomium cingentibus. Ramuli cystocarpia generantes adhuc ramellis obsiti, nunc fere denudati.

33. D. Tasmanica *Sond.; J. Ag. Sp. p. 1227; Harv. Fl. Tasm. p. 302.*

Ad oras Tasmaniæ.

Planta sine dubio ad D. Naccarioidem proxime accedens et characteres hujus plurimos offerens; at planta vix pedalis, ramis multo densius coopertis, ramellis fere usque ad basem rami minoris persistentibus, inferioribus squarroso-ramellosis, in corymbis terminalibus mollissime penicillatis. Stichidia vidi qualia Subgeneri characteristica censeo. Specimina numerosa coram habui.

Trib. 5. **Penicillatæ** rachidibus ramorum plus minus dense corticatis, frondibus brevioribus plerumque deorsum longius ramulosis, ramulis a basi firmiore longe penicillatis, ramulis nimirum in parte inferiore patenter dichotoma sat firmis, ramellis superne longe productis simpliciusculis et tenerrimis, penicillos mollissimos mucosos formantibus. Cystocarpiis adparenter pedicellatis, nempe infra apicem abortientem in ramulo minuto obliquis, conico-ovatis.

34. D. VENUSTA *Harv. Phyc. Brit. tab. 225; D. arbuscula var. mucilaginosa Auct.* (fide spec.!); *D. corymbifera J. Ag. Sp. Alg. p. 1219* (partim); *Crouan Florul. Finist. p. 159; Zanard. Icon. Adriat. tab. LIX.!*

Ad littora calidiora Europæ occidentalis et australis.

Ad descriptionem et iconem eximiam Harveyanam, l. c. datam, pauca hoc loco addere placet. Rachides ramorum vidi filis tenuioribus, inter siphones latiores translucentes decurrentibus corticatas; inferiores ramorum principalium sensim fiunt ramulis denudatæ. Articuli polysiphonei minus corticati sunt diametro $1\,^1/_2$—2:plo longiores; superiores diametro æquales. Ramuli monosiphonei ramulorum inferiorum sunt demum fere squarroso-ramulosi, axillis patentibus, apicibus tenuioribus. Superiores ramuli fasciculato-penicillati, ramellis admodum prolongatis et longe attenuatis tenerrimis, mucoso-conniventibus constituti. Articuli infimi in ramellis inferioribus crassiusculi et diametro circiter duplo longiores; superiores articuli tenuiores sunt diametro multo (4—6:plo) longiores.

Specimina cystocarpiis instructa vidi firmiora, statura D. arbusculam fere referentia, et hæc præcipue nomine D. arbusculæ var. inscripta deprehendi. Cystocarpia in ramulis lateralibus subterminalia, involucro ramellorum cincta, ovata. Stichidia in speciminibus laxius ramosis, et totis fere tenuissimis penicillis obsitis, evoluta observavi, qualia a Harvey nitidissime depicta; quoad structuram convenientia cum aliis Sub-Generis; matura longius lanceoidea.

Mea culpa synonymiam hujus speciei confusam fuisse, doleo. Speciem Algarum scribens specimen D. venustæ nondum videram, et cum signo dubii hanc ad D. corymbiferam retuli. Specimina alia, quæ ad D. arbusculam referre consueverunt, ab hac quidem diversa putavi, at una cum specie Harveyana forsan ad D. corymbiferam, antea a me descriptam, referenda assumsi. Speciminibus melioribus hodie observatis, speciem Harveyanam a D. corymbifera diversam censeo. *Eupogonium villosum Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 84* cum sua *D. corymbifera* identicum putavit Zanardini; quo jure nescio.

35. D. CORYMBIFERA *J. Ag. Symb. in Linnæa vol. XV. p. 31; Sp. Alg. p. 1219* (partim, et exclus. synon. plurimis).

In oceano calidiore atlantico.

Postquam l. c. descriptionem Speciei dare molitus sum, specimina habui haud pauca, ex Florida mihi missa, quibus ducentibus videretur Speciem inter majores numerandam esse; rachidibus plantæ inferioris pennam passerinam crassitie æquantibus. In superiore parte ramorum corticale stratum tenuius constat filis longitudinaliter decurrentibus inter siphones latiores translucentes; in inferiore parte ramorum corticale stratum fit sensim magis magisque densum. Ubi rami fere ecorticati adparent, ibidem articuli polysiphonei diametro vix longiores sunt — in suprema rachide nunc paulo longiores. Ramuli in apice ramorum fasciculo ramellorum molliorum terminati, eximie corymbasi constant ramellis elongatis incurvis, a basi evidenter crassiore longe attenuatis; intimi ramelli corymbi constant articulis vix diametro longiores. In ramellis adultioribus articuli sunt longiores, 2—4:plo diametrum superantes. Infra corymbos nunc ramuli adsunt apicibus ramellorum dejectis subsqarrosi.

Species Algarum scribens, descriptionem dedi vario respectu erroneam, ductus quibusdam speciminibus Das. venustæ, cum qua nostram, primitus descriptam, identicam judicavi. Quibusnam aliis Speciebus D. corymbifera revera proxima sit, incertum mihi videtur, cystocarpiis hodie adhuc ignotis. Stichidia observavi, qualia Sub-Generi characteristica describere conatus sum. Characteribus D. venustæ mihi quidem proxima videtur; dum vero in hac ramelli patentes fasciculatim penicillati obveniunt, fiunt adultiores in D. corymbifera eximie incurvati, quasi corymbos minutos, secus ramos dispositos, formantes.

Trib. 6. **Pedicellatæ** frondibus elongatis mollissime penicillatis, penicillorum filis fere a basi tenerrimis, levissimo quoque motu aquæ flexis, dichotomis axillis acutissimis, cystocarpiis adparenter pedicellatis, nempe infra apicem abortientem in ramulo minuto obliquis, carpostomio sæpe producto apiculatis.

* *Rachidibus frondium minus dense corticatis; ramis sursum longius denudatis (ramellis nullis), apicibus ramorum ramulorumque penicillatis.*

36. D. CAPILLARIS *Hook. fil. et Harv. mscr.: Harv. Ner. Austr. tab. XIX.; J. Ag. Sp. p. 1212; Kütz Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 73.*

Ad oras Tasmaniæ.

Frondes superne tenue corticatæ, habent siphones pericentrales 5 (nec 4), filis corticalibus singulis cum siphonibus alternantibus. Inferne fila corticalia fiunt numerosiora. Articuli polysiphonei sunt longiores quam in plurimis, sæpe diametro 4:plo longiores. Ramelli monosiphonei fere ad quodque geniculum exeunt. In ramulis capsuliferis sunt articuli polysiphonei diametro sesquilongiores, et 4—6 ejusmodi articuli efficiunt pedicellum, ex quo cystocarpium oblique eminet. Cystocarpium fere ovatum dicerem, basi non truncatum sed paulisper inferne attenuatum, et a parte inferiore, magis inordinate cellulosa, exeunt fila

pedicelli suprema; pars suprema cystocarpii constat cellulis in fila longitudinalia seriatis, quibus cingitur carpostomium. Stichidia vidi qualia Subgeneri characteristica describere conatus sum.

** *Rachidibus frondium dense corticatis, cortice ramos ramulosque obducente; ramis ramulisque sub certo stadio fere secus totam longitudinem penicilliferis; sub alio denudatis.*

37. D. ELEGANS *(Mart.): Ag. Sp. Alg. II. p. 117; J. Ag. Sp. p. 1213; Kütz. Phyc. gener. tab. 51: Tab. Phyc. Vol. XIV. tab. 59.*

D. Kützingiana Bias. in Linn. 1837 tab. VIII. et IX.: Kütz Tab. Phyc. l. c. tab. 60.

D. pallescens Kütz. Tab. Phyc. l. c. tab. 62.

In oceano atlantico ad littus Americæ et ad insul. Canarias; in mediterraneo et adriatico.

Quid sit *D. Jadertina Sandri, Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. p. 24 tab. 66* nescio. Formam D. elegantis. antheridiis instructam, facilius credidissem; ramificationis norma fere Schimmelmanniam refert. Hauck siccis pedibus eam transivit. Ardissone, qui abunde de formis plurimis Floridearum loquitur, de hac parcissime; formam D. elegantis, ramificatione diversam considerare videtur.

38. D. VILLOSA *Harv. mscr.: Ner. Austr. p. 61 tab. XX.; J. Ag. Sp. p. 1215; Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 57.*

D. extensa Kütz. l. c. tab. 58.

Ad Tasmaniam et oras meridionales Novæ Hollandiæ.

Ut jam in Synopsi Phycologiæ australis monuit Harvey, planta plures exhibet formas, habitu non parum diversas. Rami nimirum nunc pauci, elongati simpliciusculi et flagelliformes, nunc ramulis minoribus admodum decompositi; ramelli nunc plurimi, nunc deficiunt; ubi præsentes, nunc tenerrimi rosei, nunc crassiores atropurpurei. D. elegantem fere consimilia evolutionis stadia offerre, satis hodie constat. Stichidia vidi, qualia Subgeneri characteristica describere conatus sum; sunt in D. villosa magis ovato-oblonga; in D. elegans magis conico-lanceolata. Semper pedicello monosiphoneo, si quoque breviore insident (sessilia, qualia in D. extensa descripsit Kützing, non vidi. A ramis adparenter simpliciusculis exeunt tum ramuli minuti polysiphonei et penicillati. tum penicilli a basi monosiphonei, a cortice pullulantes. In ramulis polysiphoneis cystocarpia infra apicem tabescentem proveniunt oblique lateralia, adparenter terminalia, carpostomio producto instructa, qualia in D. capillari et D. eleganti simillima obveniant.

Trib. 7. **Hirtæ** frondibus ab ima basi ramelloso-hirtis, plus minus ramosis ramis ramulisque minoribus intermixtis sparsioribus, penicillis subverticaliter patulis, a basi crassiore monosiphoneis, ramellis distantibus mollioribus, supra axillas patentes incurvis; cystocarpiis breviter pedicellatis, nempe infra apicem abortientem in ramulo minuto obliquis, ovatis carpostomio vix prominulo.

39. D. MOLLIS *Harv. Ner. Bor. Amer. p. 62 et Acc. of Mar. Bot. of West Australia n:o 114: J. Ag. Sp. p. 1216: Kütz. Tab. Phyc. vol. XV. tab. 1.*

In oceano atlantico ad littus Americæ calidioris; in oceano australi ad King Georges Sound.

Iconem a Kützing loco citato datam *plantæ australis* optimam dicerem, at sterilem. Nec specimina a me observata stichidiis instructa vidi. Cystocarpia in ramulo polysiphoneo breviore, vix tertiam partem ipsius cystocarpii attingente, sed sua crassitie fere dimidiam partem cystocarpii æquante, adparenter terminalia, revera infra apicem ramuli oblique adscendentia, apice ramuli tabescentis juxta basem cystocarpii conspicuo, apophysin lateralem comatum referente. Penicilli monosiphonei circumcirca a cortice pullulantes, basi conspicue crassiore, fere verticaliter exeuntes, ramellis invicem distantibus patulis compositi; ramellis terminalibus sursum incurvis. Si recte viderim, rachis penicilli primaria est dextrorsum et sinistrorum ramellosa, ita ut singuli penicilli quasi paginam ramo adverterent; rachidemque hanc penicilli supereminentem sursum incurvatam putarem.

Plantæ americanæ specimina parum completa tantum vidi, penicillis plurimis ne dicam omnibus præparatione deperditis. Reliquiæ eorum certis locis aggregatæ, vix bene conveniunt cum iis, quæ in forma australi vidi. Fila penicillorum a ramulo brevi polysiphoneo egredientia fere crederem. Antheridia ramello monosiphoneo suffulta, et filo longiore articulato terminata, in nostris vidi. Specimina americana densius ramosa mihi quoque obvenerunt. An hæc cum D. Mazei, alio loco (supra p. 95) memorata, comparanda esset?

Dasyam mollem cum D. Meredithiæ et D. Haffiæ certo respectu analogam dicerem. Ut istæ species ad Hapalatrices situ cystocarpiorum accedunt, forma penicillorum diversæ; ita D. mollem ad Pedicellatas ob situm cystocarpiorum referrem, nisi penicillis sat diversam eandem judicaverim.

Trib. 8. **Arbusculæ** frondibus brevioribus sæpius deorsum longius ramulosis, ramellis firmioribus rigidiusculis incurvis, junioribus in apice ramulorum convergentibus, inferioribus sensim quoquoversum patentibus sæpe sqarrosis; cystocarpiis in ramulo breviore infra apicem abortientem obliquis.

† *Species Boreales.*

* *Ecorticatæ, ramulis ad geniculum quodque secundum exeuntibus.*

40. D. Wurdemanni *Harv. Ner. Bor. Am. tab. XV. C.; J. Ag. Sp. p. 1191; Zan. Iconogr. Adr. tab. LIII. A.*

Ad littora calidiora Americæ et Europæ.

Stichidia subgeneris: Cystocarpia nondum observata scio.

** *Corticatæ, corticuli strato parum denso obtectæ.*

41. D. arbuscula *J. Ag. Sp. p. 1221; Harv. Phyc. Brit. tab. CCXXIV.; Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 83; Eupogon. squarrosum et E. rigidulum Kütz. Tab. Phyc. l. c. tab. 85? D. squarrosa Zan. Icon. Adr. tab. LIII. B.*

Ad littora calidiora Europæ.

Quicumque comparaverit iconem Conf. arbusculæ Dillwyn. tab. G. et Harveyanam l. c. datam vix non statim agnoscat easdem vario respectu differre. In una cystocarpia pinguntur ovata, breviter acuminata, in rachide rami omnino sessilia; in altera adparenter in ramulo brevi terminalia, ramellis involucrata, et omnino ampullacea. Utrum species diversæ his diversitatibus indicarentur, an tantum formas extremas speciei sisterent, de hoc alii forsan aliter judicent. In forma robustiore (*A. cæspitosa J. Ag. l. c.*) ramelli ad genicula eximie contracti; in planta Harveyana ramelli adultiores magis cylindracei. Kützing et Zanardini ejusmodi characteribus species diversas fundare, periculum fecerunt.

†† *Species Australes.* (Plures inter has, fructibus mihi ignotis, quoad affinitates proximas dubiæ adparent).

42. D. pacifica *Harv. mscr.; J. Ag. Sp. p. 1223.*

In oceano pacifico ad Tonga insulas.

Stichidia subgeneris vidi. Cystocarpia nondum observata scio.

43. D. scoparia *Harv.; Ner. Austr. p. 62 tab. XXI.; J. Ag. Sp. p. 1221; Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 65.*

Ad. Cap. b. Spei.

Fructus frustra quæsivi.

44. D. COLLABENS *Hook. et Harv.; Harv. Ner. Austr. l. c. tab. XXI.; J. Ag. Sp. p. 1218; Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 68.*

Ad Novam Zelandiam, et ad King Georges Sound Novæ Hollandiæ.

45. D. URCEOLATA *Harv. mscr.; J. Ag. Sp. p. 1208.*

Ad oram meridionalem Novæ Hollandiæ.

Mihi paucis fragmentis tantum cognita et quoad affinitates admodum dubia; ob ramulos subdistantes fasciculatos, in rachide subalternantes, et formam cystocarpiorum non ægre D. capillari affinem habuissem, at multo firmiorem, ramellis brevioribus, superioribus a basi in acumen obtusiusculum productis instructam. Inferiores ramelli in nostris sæpe abrupti; (an præparationis modo mutati et facilius dissoluti?). Cystocarpia in ramulo brevi polysiphoneo adparenter terminalia, sub-ampullacea at infra apicem productum iterum ore dilatato prædita, cellulis carpostomium cingentibus transversaliter dilatatis, quod in nulla alia specie vidi. Stichidia Subgeneris.

Specimina a Harvey distributa, a me antea descripta, plantam minorem indicant. Postea pauca alia ex Tasmania in Herb. Rol. Gunn vidi, quæ plantam saltem sexpollicarem, rachidibus crassiusculis dense corticatam indicant. At hæc quoque undis circumjecta et denudata aut præparatione subdissoluta mihi adparuerunt.

Trib. 9. **Subuliferæ** frondibus majoribus et sursum longius dense corticatis, ramis ramulisque ramellosis, ramellis firmioribus, subulatis, adultis rigidiusculis a basi latiore conspicue attenuatis submucronatis, ad genicula contractis, quoquoversum patentibus; junioribus mollioribus, in apice ramulorum sub-convergentibus; cystocarpiis ad apicem ramuli vix mutati oblique sessilibus.

46. D. CERAMIOIDES *Harv. in Lond. Journ. III. p. 435 et Ner. Austr. p. 66 tab. XXVI.; J. Ag. Sp. p. 1187; D. tingens et D. hormoclados Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 74 et 75.*

Ad Tasmaniam et Novam Hollandiam australem.

Ad ea, quæ l. c. de confusione quadam speciminum dixi, hoc loco pauca addere placet. *Dasya Ceramioides*, qualem hanc intelligo, est quoad structuram stichidiorum species Rhodonematis; D. Hormoclados, quæ cum ea confusa fuit, stichidia habet admodum diversa, qualia sunt Lophothaliæ, de quibus suo loco supra dixi. In D. Ceramioide stichidia a superiore parte ramelli monosiphonei sunt transformata, et pedicello longiore monosiphoneo, sæpe pluribus articulis constante, sustinentur. Articuli juveniles stichidii duplici serie cellularum constituuntur, quarum superioris seriei in sphærosporas abeunt, inferioris vero cellulæ fiunt bracteantes, at sub evolutione sphærosporarum plus minus oppressæ. In effoeto stichidio verticilli cellularum bracteantium forsan paulisper densius dispositi, quam in aliis

Rhodonematibus. Cystocarpia vidi in ramulo breviore, at vix aliter mutato, infra apicem sessilia, quasi involucro ramellorum cincta, et ita singula: hoc modo ad species, quarum cystocarpia sunt quasi pedicello proprio instructa, accedens. Ipsum pericarpium vidi ovatum, nec urceolatum nec rostratum, quale aliquando descriptum vidi. Sectione transversali vidi ramos densius corticatos, siphonibus pericentralibus 5 a siphone centrali numerosis cellulis interstitialibus disjunctis.

Sub-Genus IV. Dasyopsis.

Frons teretiuscula polysiphonea parce corticata, ramulis basi polysiphoneis apice monosiphoneis, interspersis aliis a cortice pullulantibus totis monosiphoneis. *Stichidia* a rachide ramuli monosiphonei transformata, et ramellis exterioribus non transformatis a parte fertili lateraliter egredientibus penicillata, ramellisque novis ex apice pullulantibus suberistata, pedicello monosiphoneo insidentia, brevissime articulata, articulis omnibus fertilibus, singulis duplici serie cellularum constitutis, superioris seriei cellulis fertilibus sphærosporas subecorticatas generantibus, inferioris seriei sterilibus quasi bracteantibus cellulas corticales sustinentibus; his demum (in stichidio effoeto) verticillos cellularum corticalium inter spatia ecorticata formantibus.

Dum in Rhodonematibus omnibus, mihi cognitis, stichidia transformatione ramelli lateralis et indivisi oriuntur, quasi contrarium obtinere diceres in Specie hucusque indescripta Australiæ, in qua ipsæ rachides penicillorum in stichidia convertuntur; ramellis a rachide fertili egredientibus transformatione intactis. Hinc stichidia Rhodonematum generantur quasi ambitu certo definita, dum in Specie, quam typicam novi Subgeneris *(Dasyopsis)* finxi, non tantum ramelli jam evoluti in stichidio maturescente persistunt, sed etiam novi ramelli pullulantes in apice stichidii oriuntur. Sub maturescentia stichidii et sursum procedente evolutione sphærosporarum, plures vidi ex ramellis superioribus fieri fertiles, aliis in ramulos steriles excrescentibus; quod ita quoque normaliter fieri, forsan assumere liceat. Alio respectu stichidia Dasyōpsidis cum iis Rhodonematum convenire videntur.

47. D. ATACTICA *(J. Ag. mscr.)* minuta arboriformis, ramis supra truncum firmiorem dichotomo-subpinnatis, comam subcorymbosam formantibus, superioribus parce corticatis articulos polysiphoneos diametro parum longiores monstrantibus, ramulis inferne polysiphoneis plus minus distantibus, superne

interspersis tenuioribus a basi monosiphoneis, ramellis a basi crassiore longe attenuatis mollissimis; stichidiis apice sub-cristatis, et a latere penicillis ramellorum comatis.

Ad oras Novæ Hollandiæ australis; sub n:rs 37 et 61 a Wilson missa.

Dasyam capillarem juvenilem facile quis crederet, rachidibus nondum prolongatis, forma generali diversam. Specimina pauca, quæ vidi, sunt 2—3 pollicaria; quæ ejusdem speciei juniora finxi, sunt magis fruticulosa; quæ adultiora, habent truncum inferne denudatum, seta parum crassiorem, dein ramis inferne adparenter dichotomis longioribus, superne subpinnatim alternantibus brevioribus obsitum, comam arboris supra truncum quasi referentibus. Rami ramulique quoquoversum egredientes, sursum sensim attenuati. Rachides superiores sunt tenuiter corticatæ, articulos polysiphoneos diametro paulisper longiores monstrantes. Minores rami a basi evidenter crassiore conspicue attenuati, inter ramulos basi polysiphoneos gerunt alios a basi monosiphoneos, fere ad quodque geniculum exeuntes, quibus demum dejectis, rami adultiores inferne denudati adparent. Ramelli monosiphonei mollissimi, a basi evidenter crassiore longe attenuati, articulis diametro 3:plo 4:plo longioribus instructi. Stichidia in ramulis superioribus evoluta, quoad structuram qualia Subgeneris supra descripsi; nimirum quoad structuram ab iis Rhodonematum vix diversa, a ramulo monosiphoneo transformata et articulo monosiphoneo suffulta, et in omnibus articulis fertilia, at externe obsita penicillis lateralibus filorum sterilium tenuioribus et apice ramellis inevolutis quasi cristata.

Sub-Genus V. **Rhodoptilum.**

Frons compresso-plana, fere ad apicem usque corticata, a margine distiche plumosa, plumis polysiphoneis corticatis inter minores, fere a basi monosiphoneos, densissime seriatos, interspersis. *Stichidia* a ramulo monosiphoneo transformata et pedicello monosiphoneo brevissimo insidentia, brevissime articulata articulis omnibus fertilibus, singulis duplici serie cellularum constitutis, superioris seriei cellulis fertilibus sphærosporas minutas generantibus, inferioris seriei sterilibus, quasi bracteantibus, cellulas corticales sustinentibus; his demum (in stichidio effoeto) verticillos cellularum corticalium sub-confluentes formantibus.

Subgenus proprium unicæ Speciei creare malui, quam alia Subgenera vitiare formis, iisdem non bene pertinentibus. Dasya plumosa eximiis formæ et habitus characteribus ab aliis omnibus Speciebus Generis differt, nisi *D. planam* ramificationis norma cum ea congruere diceres. Stichidia autem in *D. plana* transformatione ramuli polysiphonei oriuntur; in *D. plumosa* transformatione ramuli monosiphonei. Structura stichidii D. plumosa cum Rhodonematibus præcipue convenit, at in stichidio effoeto verticilli cellularum corticalium ita approximan-

sur, ut totum stichidium cellulis corticalibus sub contiguis facilius contextum diceres. Quod vero ob sphærosporas pro magnitudine plantæ minutas fieri, concedendum est.

48. D. PLUMOSA *(Bail. et Harv. Ner. Bor. Amer. II. p. 66); Farlow Andersson et Eaton Alg. Amer. Exsicc. n:o 4.*

Ad oras Californiæ.

Ramuli breves polysiphonei at corticati, una cum penicillis fere ab ima basi monosiphoneis secus margines fere totius plantæ pulcherrimæ et plumosæ fere verticaliter exeunt. Penicilli constant filis crassiusculis, juxta basem brevissime polysiphoneam aut paulo supra bis aut ter divisis, ramellis alternis erectiusculis strictis aut curvatis monosiphoneis, articulatis, articulis diametro duplo longioribus aut parum ultra. Ex his ramellis unus in quoque penicillo in stichidium abit lanceoideo-oblongum, crassiusculum, ramellorum sterilium fere longitudine. Articuli stichidiorum brevissimi, juniores duplici serie cellularum mox subdivisi adparent, quarum superiores sphærosporis prægnantes fiunt, inferioris seriei cellulis bracteantibus, et quasi cellulas extimas corticales sustinentibus. Stichidium effoetum eandem structuram, quam Rhodonematibus characteristicam dixi, revera habet; at ob insignem minutiem sphærosporarum cellulæ verticillorum corticalium ita adproximantur, ut has fere contiguas diceres.

Cystocarpia a facie rachidis corticatæ rami majoris adscendunt; sunt omnino sessilia, pericarpii cellulis inferioribus in rachidem, filis decurrentibus corticatam, descendunt. Pericarpium ovatum, ore brevius producto superatum.

Sub-Genus VI. Eupogodon *Kütz. (mut. charact. et limitib.) Tab. III. 5.*

Frons teretiuscula aut compresso-plana, inferne corticata aut adparenter inarticulata, ramulis polysiphoneis sub certo stadio ramellos monosiphoneos gerentibus. *Stichidia* a ramulo polysiphoneo transformata et pedicello polysiphoneo suffulta, brevissime articulata, articulis omnibus fertilibus, singulis duplici serie cellularum constitutis, superioris seriei fertilibus sphærosporas generantibus, inferioris seriei sterilibus, quasi bracteantibus, utrisque subcorticatis, demum sphærosporis emissis verticillos cellularum corticalium subcontiguos monstrantibus.

Species hujus Sub-Generis, adhuc pauciores cognitæ, invicem magis habitu discedunt, quam in aliis Sub-Generibus. Hinc facilius quis crederet species divergentes ad diversos typos pertinere. Quum autem in stichidiorum formatione species sat congruentes observaverim, malui de diversis speciebus adnotare quæ singulis priva mihi adparuerunt.

† Frondibus fere ad apicem corticalis, bifariam aut quoquoversum pinnatim ramulosis, ramulis junioribus apice mollissime penicillatis, adultioribus firmis subdivaricato-spinulosis.

49. D. PLANA *(C. Ag.) J. Ag. Sp. p. 1202; Zanard. Iconogr. Adr. tab. LX. A.; Eupog. planus Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 88; Eupog. cervicornis Kütz. l. c. tab. 87?*

In mari mediterraneo et adriatico.

D. planam fronde plana, pinnatim obsita ramulis bifariam a margine exeuntibus, a D. cervicorni, cujus frondem ex tereti angulatam ramulis quoquoversum egredientibus descripsi, facilius distinctam putavi. Quantum ex icone judicare valeo Eup. cervicornis Kütz. est mera D. plana; veram autem D. cervicornem ut novam speciem sub nomine Eup. flabellati depictam suspicor. Hauck Eup. cervicornis Kütz. ad D. spinellam refert.

50. D. CERVICORNIS *J. Ag. Sp. p. 1204; Eup. flabellatus Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 88.*

In oceano atlantico calidiore.

51. D. SPINELLA *C. Ag.; J. Ag. Sp. p. 1204; Zanard. Icon. Adriat. tab. LX. B.; Eupog. spinellus Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 87.*

In mari adriatico.

Stichidia vidi ad apices ramorum a ramulo polysiphoneo et corticato transformata, pedicello polysiphoneo et corticato suffulta, eximie lanceolata. In parte juniore stichidii articulos breves, duplici serie cellularum formatos, quarum superiores, fertiles, sphærosporas verticillatas generant, inferiores steriles bracteantes et stratum corticale quasi sustinentes. Sphærosporas in eodem verticillo numerosas, nunc usque 6 numeravi. In effoeto stichidio cellulæ steriles corticales elongantur, ita ut quæ diversis articulis pertinent fere contiguæ adproximentur, et stichidium totum quasi corticatum adparet.

†† Frondibus fere ad apicem corticalis, quoquoversum ramosis, ramis ramulisque conformibus subpinnatim dispositis, superne penicillis tenerrimis comatis, inferne sensim nudis, omnibus mollissimis.

52. D. PENICILLATA *Zanard. Icon. Adriat. tab. XLI.; Hauck Meeres Algen p. 256.*

In Mari Adriatico.

Species, ut mihi videtur, bene distincta; pauca specimina diu in Herbario servavi, nolens novam Speciem his fundare. Ex icone Zanardinii patere putarem eam ad Eupogodon esse referendam. Ita eam ad sequentes transitum parare suspicor.

††† Frondibus fere ad apices ramorum corticatis, quoquoversum ramosis, ramis ramulisque conformibus, apice subcorymboso-ramulosis, ramellis firmioribus rigidiusculis sæpe curvatis, rachides supremas obtegentibus.

53. D. Indica *(J. Ag. mscr.)* fronde teretiuscula, sursum longe corticata, quoquoversum pinnatim ramosa, ramis majoribus minoribusque apice subcorymboso-ramulosis, ramulis circiter ad geniculum quodque 4 egredientibus, a rachide arcuata (sursum nuda) ramellos deorsum bifariam emittentibus, ramellisque conformibus pectinatis, in corymbos terminales conjunctis, stichidiis pedicello polysiphoneo suffultis, et in quoque articulo fertilibus, verticillis cellularum corticalium in effoeto stichidio subcontiguis.

Ad Insulam Diego Garcia in Oceano Indico (Museum Kewense!).

Planta adspectu et magnitudine circiter D. Curdieanam refert, at longe aliter ramosa. Ramificationis norma ab omnibus mihi cognitis Dasyæ speciebus revera admodum diversa mihi adparuit. Rami nempe superiores crassiusculi, et cortice omnino obducti, distanter (circiter ad geniculum quodque quartum) ramulos emittunt rachide arcuata instructos, sursum ramellis denudatos, deorsum pectinatos ramellis bifariam exeuntibus. Ex his ramelli inferiores simili modo decompositi fiunt; supremos (nondum rite subdivisos) fere dichotomos diceres. In ramellis, qui a rachide incurvata exeunt, stichidia formantur, ramellos subsecundatos referentia. Articuli in rachidibus arcuatis admodum polysiphonei adparent et diametro breviores; ramelli plurimi sunt inferne quoque polysiphonei, ultimis basi crassioribus apicibus acutis monosiphoneis. Ramuli ramellique, quamquam firmiores, sunt incurvati et quasi conniventes in corymbos terminales densissimos, quibus rami terminantur.

Stichidia, ut in Rhodonematibus, habent articulos duplici serie cellularum contextos, quarum superiores sphærosporarum verticillum generant; inferiores, bracteantes, cellulis suis depressis separant verticillos sphærosporarum, qui in articulis proximis formantur. Articuli igitur omnes stichidii fertiles fiunt. Stichidium lancoideum pedicello polysiphoneo insidet. Stichidium effoetum gerit cellulas strati corticalis evidentius in verticillos conjunctas. At hi verticilli magis adproximati quam in Rhodonematibus propriis. Cystocarpia non vidi.

Characteribus stichidiorum speciem ad Eupogodon referendam esse patet; quamquam habitu magnopere differt ab iis, quas quondam suo Generi typicas consideravit Kützing.

54. D. Dictyuroides *(J. Ag. mscr.)* fronde teretiuscula sursum longe corticata, quoquoversum pinnatim ramosa, ramis majoribus minoribusque apice densissime ramulosis subsquarrosis, ramellis rachides circumcirca superne obtegentibus ad geniculum quodque secundum pinnatim exeuntibus, inferioribus longioribus incurvatis, stichidiis validis conicis basi lata subsessilibus, pedicello polysiphoneo suffultis et in quoque articulo fertilibus, verticillis cellularum corticalium in effoeto stichidio sub-contiguis.

Ad oras Novæ Hollandiæ australes (I. Br. Wilson!).

Frons 4—6 pollicaris, inferne ramis minoribus sparsius obsita, superne majoribus quoquoversum egredientibus pinnato-pyramidata. Rami inferne denudati teretiusculi, sursum longe corticati; apices ramulique superne quasi velo (ramellorum) laxius ambiente oblongo aut obovato involuti. Intra velum, quod ramulis minoribus quoquoversum egredientibus constituitur, rachides primariæ polysiphoneæ sunt pinnatim ramulosæ, ramulis ad geniculum quodque secundum subdistiche exeuntibus; infimis magis divaricatis, et ni fallor anastomosibus cum proximis sparsim conjunctis; mediis patentibus, supremis incurvatis, omnibus conjunctis rachides quasi velo laxiore circumdantibus. Articuli in rachidibus polysiphoneis diametro subæquales; in ramulis monosiphoneis sunt diametro 1 $^{1}/_{2}$—2:plo longiores. Terminales ramuli parum acuti. Stichidia ad imam partem ramulorum denudatam fere sessilia, valida, latitudinem veli sua longitudine æquantia, conica, sæpe paulisper incurva, acuminata, quoad structuram qualia Subgeneri charateristica describere conatus sum. In ramo transversim secto vidi siphonem centralem, cæteris paulisper majorem, cinctum pericentralibus 4, totidemque minoribus cum primariis alternantibus, Externe stratum densum cellularum exteriorum siphones obtegit; extimis paulisper diversis, quasi cellulas corticales proprias monostromaticas formantibus. Rachides ramulorum polysiphoneæ, angulo patenti adscendentes et ipsæ pinnatim subdivisæ, ita positæ mihi adparuerunt ut unam paginam ramo adversam gererent, ramellis pinnatis dextrorsum et sinistrorsum lateraliter exeuntibus. Quia rachides ramorum, circumcirca ejusmodo ramulis obsitæ adparent, inferioribus ex his superiores obtegentibus, facilius efficitur, ut rami ramulique omnes superne quasi velo ramellorum involuti fiunt; et quia apices ramellorum incurvantur velum adparet quasi extrorsum læve nec hirtum aut squarrosum. Spatiis minoribus, insuper, inter pinnas pinnulasque translucentibus velum, quod dixi, quasi reticulo constare putares, quale in Dictyuri speciebus obvenire constat. Quosdam ramulos quoque sparsim concretos fuisse, non ægre assumerem. Prima vice plantam inspectam quoque Dictyuri speciem supposui. Stichidia vero Speciem Dasyæ sat evidenter demonstrant.

Species **Dasyæ**, fructibus mihi adhuc ignotis, quoad affinitatem dubiæ.

* *Siphonibus pericentralibus 4, fere a basi frondis ecorticatis.*

55. D. ADUNCA (*J. Ag. mscr.*) nana, teretiuscula, repens et haustoriis petiolatis articulatis affixa, parce ramosa, ramis articulatis ecorticatis sursum squarroso-ramulosa, ramellisque monosiphoneis ad geniculum quodque demum exeuntibus alterne subdivaricato-pinnata, ramellis elongatis arcuato-incurvis, articulis ramorum 4-siphoneis, diametrum vix longitudine superantibus, ramellorum monosiphoneis diametro 2:plo—3:plo longioribus.

In aliis Algis ad King Georges Sound Novæ Hollandiæ.

Crescendi modo Polysiphoniam secundam et alias conformes refert, structura vero Dasyæ, cujus plurimis speciebus minor, paucas lineas longitudine æquans. Frondes primariæ repentes sunt radiculis monosiphoneis, 1—3 articulis constantibus, apice in haustorium expansis affixæ, sparsius ramosæ aut subpinnatæ, ramis conformibus, invicem distantibus, totæ

articulatæ et ecorticatæ. Articuli siphonibus pericentralibus 4 constituti, sua longitudine diametrum æquantes. Præter ramos suo modo formatos, alii adsunt ramuli, demum ad geniculum quodque exeuntes angulo patentissimo, qui ab ima basi paulisper incrassata sunt monosiphonei et suo ordine in inferiore parte ad geniculum quodque subpinnatim ramellosi, ramellis terminalibus elongatis et ita incurvatis ut apice sæpe deorsum spectent. Fructus frustra quæsivi.

Ut quondam sectiones Generis instituerunt, hæc Species ad Rhodonemata pertineret, a quibus vero differre videretur fronde tota ecorticata. Crescendi modo D. Wurdemanni et D. Callithamnion proxime tangere diceres.

56. D. DUBIA *Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 79.*

Ex Algoa bay Cap. b. Spei. — Mihi omnino ignota.

57. D. CALLITHAMNION *Sond.: J. Ag. Sp. p. 1190; Kütz. Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 77.*

Ad littus austro-occidentale Novæ Hollandiæ.

Specimen sterile tantum vidi.

58. D. FLOCCULOSA *Zanard. pl. mar. rubr. p. 51. Tab. VI. fig. 1;* mihi nullo spec. cognita.

59. D. APICULATA *J. Ag. Sp. p. 1206;* hodiedum adhuc quoad affinitates incerta manet.

60. D. CROUANIOIDES *Sond.: J. Ag. Sp. p. 1239,* quam cum Crouania insigni identicam jam supposuit Harvey, in *Tab. Phyc. vol. XIV. tab. 89* a Kützing depicta, sec. iconem ad Crouaniam certe referenda videtur.

CLI.? Trigenea *Sond.: J. Ag. Sp. p. 1247.*

Genus *Trigeneæ*, jam 1845 a Sondero constitutum, fere jam ab initio dubiis vexatum fuit. De characteribus ab auctore indicatis, vario modo revera obscuris, non minus dubitari opporteret, quam de affinitate, quam alii alio modo interpretati sunt. Sonder præcipuam differentiam in ramentis quæsivit, quorum alia sterilia nuda descripsit, alia fertilia filis callithamnioideis ramosis obsita: hæc vero fila a nemine postea observata fuerunt. Sphærosporas ramentis inclu-

sas, nucleo triangulatim quadridiviso indicavit; quas nec postea observatas fuisse adparet. *Favellidia* denique a Sondero memorantur oblonga, filis callithamnioideis lateraliter adnata, sporas 4—6 subangulatas continentia; hæc vero ipse, in alia parte descriptionis, *Keramidia* denominavit, quæ intra perisporium hyalinum sporas paucas angulatas zonatim divisas, continerent. Quæ omnia quomodo intelligantur non facile liquet. Harvey, qui dein iteratis vicibus de eadem planta scripsit, alio tempore aliam de ea fovit opinionem. Jam in *Nerei Austral. p. 37* animadvertit se vidisse Keramidia globosa, membranaceo-cellulosa, fasciculum sporarum pyriformium includentia, in ramentis sessilia; Genus Sonderianum hoc loco adoptavit, atque illud inter Rhodomelam et Polysiphoniam disposuit. In *Phycolog. Austr. tab. CXXVI.* dein speciem Sonderianam nomine *Rhodomelæ Trigeneæ* depinxit; characteres quoque illustravit structuræ et cystocarpiorum, quales ipse hos viderat; fila callithamnioidea a Sondero memorata, quibus *"favellidia"* lateraliter adnata essent, siccis pedibus omnino transivit; nec de sphærosporis loquitur, addita tamen observatione: "so far as the fructification is known it agrees with Rhodomela, and there is nothing in structure or habit which compels us to part it in a different Genus". Species Algarum postea scribenti mihi adparuit characteres Generi allatos maximopere dubios videri, et suspicionem protuli Genus forsitan Heterocladiæ adproximandum esse, in quo Genere stichidia, sphærosporis prægnantia, quoque filis Callithamnioideis vestita obvenire, observatum fuerat. In *Enumeratione Algarum Australiæ* Sonder denique hanc opinionem ita amplexus est, ut Genus Trigeneæ restituit, inter Heterocladiam et Rhodomelam enumeratum.

His vero omnibus, quibus affinitatem plantæ et characteres Generi attributos illustrare conati sunt Algologi, dubia de vera structura plantæ singularis nullo modo sublata fuisse, patet: haud liquet quid sibi velint fila illa callithamnioidea, a Sondero observata, quibus "favellidia" adfixa vidit. Favellidiis prætermissis Harvey cystocarpia omnino diversa depinxit, nullo omnino filorum adparatu stipata. De sphærosporis, a Sondero observatis, nullam omnino mentionem fecit Harvey. Diu igitur mihi in votis fuit, ut in novis allatis speciminibus fructus observare contingeret, qui ita diverso modo ab Auctoribus descripti fuerant; quod quum denique succedit, in nova mihi allata Specie, Generis characteres hodie describere conabor.

Quod primum attinet fila callithamnioidea, hæc sub certo evolutionis stadio obvenire, et sine omni dubio plantæ pertinere, convictus sum. Eadem nimirum

vidi in planta sphærosporifera ex superiore parte ramulorum fertilium sparsim exeuntia, in fasciculos minutos collecta, sine ordine conspicuo a superficie cellulosa ramuli emergentia; sunt monosiphonea, articulata, crassiuscula et firma, obtusa, inferne dichotoma aut ramulo uno alterove subsecundatim ramosa, superiore ramellorum parte simpliciuscula leviter incurva, ramellis quasi in fasciculum lateraliter expansum (cujus paginam rachidi adversam vidi) conniventibus; articuli filorum sunt diametro sesqui-duplo-longiores, intra membranam crassam endochroma angustum foventes. Fila basi bisiphonea, qualia a Sondero memorantur, equidem non observavi.

Ramulos supremos sphærosporiferos vidi plus minus acuminatos, media parte crassiore fertiles, adparenter inarticulatos; cellulæ corticales in his minutæ, angulato-rotundatæ, fere in lineas longitudinales paulisper flexuosas quasi dispositæ; intra stratum corticale sphærosporæ pauciores adproximatæ translucentes conspiciantur. Sectione facta transversali adparet sphærosporas intra stratum corticale densum esse omnino immersas, intra siphones, vix ab aliis cellulis dignoscendos, generatas, geminis simul conspicuis e regione positis, ad eundem articulum adparenter pertinentibus. In parte fertili stratum corticale magis gelatinosum videtur, et erumpentibus demum sphærosporis, ut adparuit, facilius secedens. Sphærosporas maturas triangule divisas vidi. Ejusmodi sphærosporas eruptas, inter fila conniventia fasciculorum haud paucas observavi, sordibus vero simul inter fila collectis cohibitas. Glomerulos sphærosporarum, hoc modo inter fasciculos filorum exceptos, a Sondero ut favellidia descriptos fuisse, mihi vix dubium videtur.

Cystocarpia propria fere majora vidi quam in alia quadam planta Floridea me observasse memini; diametro ramuli, in quo insident, sunt fere 4:plo latiora, ad medium circiter ramuli sessilia, aut sæpe in pedicello brevissimo laterali terminalia, fere globosa, apice vix prominulo pervia, intra pericarpium, pluribus cellularum stratis contextum, nucleum simplicem foventia, qualem in Rhodomeleis obvenire constat. Placenta a basi sursum adscendens, cellulis sine ordine conspicuo anastomosantibus contexta, ab ima sua basi fila quædam nucleum laxe ambientia emittens, a superiore parte circumcirca in fila prægnantia, quoquoversum radiantia, articulata abiens. Fila nucleum ambientia fiunt sursum sensim laxiora, cellulis magis elongatis contexta. Fila prægnantia, inferne articulis brevibus constituta, in articulis terminalibus admodum prolongatis gemmidia sin-

gula, demum valida, obovato-pyriformia fovent. Pars superior ramuli fertilis persistit incurvata, quasi bractea Keramidium sessile aut pedicellatum sustinens.

His rite perpensis patet cystocarpia proxime convenire cum iis, quæ jamdudum depinxit Harvey; sphærosporas vero esse ramulis propriis immersas, qui a sterilibus et cystocarpia gerentibus in eo differunt, quod fasciculis minutis filorum articulatorum obsiti sint. His filis superne incurvatis, sphærosporas erumpentes colligentibus, sordibusque obductis forsan germinationem properantibus, Trigeneam a Rhodomela differre, patet. Utrum vero his ducentibus ad Heterocladiam accederet, an Rhodomelæ revera affinitate proximam considerare opporteat, hoc hodie dijudicare haud licet, quum cystocarpia ipsius Generis Heterocladiæ hodiedum omnino ignota permaneant.

Duæ formæ Generis mihi cognitæ sunt, quarum una a Sondero primitus descripta et a Harveyo depicta, præcipue ad oras magis occidentales Novæ Hollandiæ obvenire videtur; hæc ramulis brevibus, sæpe circiter 1—2 pollicaribus, simplibus aut ramo uno alterove obsitis, circumcirca sine ordine conspicuo pullulantibus, fere per totam longitudinem rachidis sæpe densissime jubatæ, cæterum paucis ramis adscendentibus, vage exeuntibus, parum decomposita. Alteram formam, infra ulterius descriptam, præcipue ex oris meridionalibus Novæ Hollandiæ habui; hanc ramis ramulisque fere umbellatim decompositis diversam putavi. Adspectu ita formas admodum dissimiles referunt; utrum vero sint species diversæ, an ejusdem specici formæ, ex paucis speciminibus, quæ vidi, dijudicare vix auderem. Interea mihi sunt species Trigeneæ:

1. Trig. australis *Sond. in Pl. Preiss. p. 181; Harv. Ner. austr. tab. 37; J. Ag. Sp. Alg. p. 1248; Rhodom. Trigenea Harv. Phyc. Austr. tab. CXXVI.*

   Hab. ad oras occidentales et austro-occidentales Novæ Hollandiæ.

2. Trig. umbellata *(J. Ag. mscr.)* fronde subumbellatim decomposita, ramis in umbellam ramulorum desinentibus, inferne nudis, nunc ramulis infra umbellam vage pullulantibus insuper jubatis, umbellularum ramis aut sphærosporiferis, aut (in diversa planta) cystocarpia gerentibus.

   Hab. ad oras australes Novæ Hollandiæ (ad Port Phillip: F. de Mueller, Wilson, aliique).

Plantam vix ultra pedalem vidi, caule pennam corvinam crassitie vix æquante, superne in ramos paucos diviso, quorum singuli in umbellam ramulorum desinunt; infra umbellam

nunc jubati, ramulis sine ordine conspicuo pullulantibus, nunc umbellis pluribus superpositis, his invicem distantibus, quasi compositi; uno nempe aut altero umbellæ primariæ ramo crassiore umbellam novam ad apicem generante. Hac ramificationis norma ulterius in planta fructifera perducta, adspectus admodum peculiaris obvenit, ramulis umbellularum in planta cystocarpiifera incurvatis simpliciusculis subclavatis; in sphærosporifera hirtis, quasi parasitica planta obsitis, limo sordibusque conspurcatis. Ramulis transverse sectis observavi cellulam centralem minorem, 4 cellulis parum majoribus (omnibus minutis) cinctam; ob brevitatem vero articulorum superioris et inferioris articuli cellulæ facilius simul conspiciantur, veram structuram obscurantes. Quod cæterum de structura fructuum supra dixi, hanc speciem spectare, animadvertere debui.

Quæ prima hujus speciei vidi fragmenta cum forma quadam Rytiphleæ, quam R. umbellatam in Herbario denominaveram, potissimum comparanda credidi. Ramificationis norma peculiari utramque plantam subsimilem obvenire, hoc quoque loco animadvertere placet. Exsiccatione vero nigrescit Rytiphlæa; Trigenea vero colorem purpureum servat; hæc chartæ leviter adhæret ob substantiam paulisper gelatinoso-carnosam; illa corrugatur et facilius frangitur exsiccata; quibus habitus characteribus utramque jam dignoscere liceat. Cæterum vero hæc est forma Rytiphleæ, quam R. elatæ proximam puto, et structura et fructibus a Trigenea differt.

Tr. australem et *Tr. umbellatam* ramificationis norma indicata admodum differre, facilius crederes. Quum vero in Tr. umbellata rami sine ordine pullulantes nunc quoque adsunt infra umbellam, et in Tr. australi ramuli pauci magis compositi sparsim observantur, conjecturæ locus videretur, utramque plantam forsan tantum sistere stadia evolutionis ejusdem speciei diversa. Attamen contra ejusmodi suspicionem obvenit, quod neque Sonder, neque Harvey, quibus formæ Tr. australis fructiferæ coram fuerunt, de dispositione quadam umbellata ramorum in planta fructifera loquuntur; nec in icone Harveyana, in qua cystocarpia depicta fuerunt, ejusmodi dispositionis indicia quædam offerunt.

CLVII$_1$. Sonderia *F. de Mueller nov. Gen.*

SONDERIA BENNETTIANA *F. de Muell. in litter.; Claudea Bennettiana Harv. Phyc. Austr. tab. 61.*

Frons, ut in *Claudea* et *Vanvoorstia*, tota componitur foliolis, initio liberis, sensim in reticulum concrescentibus, individuum aut si mavis entitatem definitæ formæ demum constituentibus. Dum autem folium, ita compositum, in Claudea formatur acinaciforme, dorsali margine adparenter nudo, ventrali in laminam expanso, ea est in Sonderia et Vanvoorstia dispositio, ut frons magis flabellato-reniformis, ambitu sinuoso obveniat. In Claudea folia primaria sunt apice paulisper *recurvata;* et foliola ab hoc emergentia suorum metipsorum ventrale latus (foliiferum) sursum pandunt; in Sonderia folia primaria sunt apice deorsum cur-

vata, et foliola ab hoc emergentia suorum metipsorum latus ventrale (foliiferum) deorsum gerunt. Hinc foliola in Claudea a folio generante sursum, in Sonderia deorsum explicantur; in Claudea inferioris folii foliola cum superiore folio concrescunt; in Sonderia et Vanvoorstia superioris folii foliola cum inferiore anastomosi junguntur. In Claudea et Sonderia foliola, quæ a costa prolificant, a pagina folii generantis emergunt, paginam (nec margines) huic advertentia; mox autem, obliqua assumta directione, ita disponuntur ut totam compositam laminam verticalem efficiant; nec tamen hoc in utroque Genere eodem modo. In Claudea costalis regio quasi tota sursum spectat et fit foliifera, marginibus utrisque deorsum recurvatis. In Sonderia margines utrique fere verticaliter positi; uno superiore ob structuram peculiarem sensim turgescente et ampliore; altero inferiore, sensim magis obsoleto, secus foliola deorsum versa expanso. His totius dispositionis differentiis typum diversum frondis indicari putarem.

Foliola constituentia S. Bennettianæ sunt ab initio magis succosa, quasi nutrimento scatentia, novæ seriei foliolorum originem datura; dein, at adhuc infantilia, magis complanata, ambitu fere lanceolata, inferne fere in petiolum contracta, apice obtusiuscula, cellulis constituentibus fere in modum Hypoglossi, cujusdam dispositis. Costalem nimirum regionem percurrunt series tres cellularum, quarum media, quasi initialis, medium foliolum ab initio occupat; utrinque hæc mox nova firmatur; cellulæ in his secus longitudinem folii elongatæ, suo diametro circiter sesquilongiores. Ab his, mutata directione, margines versus folioli exeunt cellulæ minores, fere seriatæ in fila brevia, alia simplicia, plurima semel aut bis furcata, quasi fasciculos minutissimos constituentia; articuli interiores horum fere rotundati crassiores, exteriores sensim tenuiores magis cylindracei secus diametrum transversalem folioli paulisper elongati; gemini horum fasciculorum sæpe singulis cellulis costalibus antepositi. Folium infantile ita compositum laminam offert, si rite observaverim, omnino planam.

In foliolo paulisper increscente et mox novum foliolum ad cellulam quamque secundam mediæ seriei costalis generante, mutantur sensim fasciculi minuti qui unam marginalem regionem folii generantis constituunt. Ex articulis nimirum horum ultimis singuli, qui fere sunt inter fasciculos geminos intermedii, sensim tument in formam obovato-oblongam et fiunt multiplo crassiores quam reliqui et non transmutati; adultiores horum quin immo vidi aliquando transverse oblongos. Hos articulos, aut cellulas transmutatas, facilius quis crederet sphærosporas plantæ efficere, utpote et positione et adspectu cum iis multarum Floridearum

conveniant. Mihi autem hoc dubitandum videtur, quum sphærosporæ in proximis Rhodomelearum Generibus stichidia plus minus dissimilia occupant. Hinc aliam functionem iis adtribuendam esse, me judice, patet. Mihi igitur positionem harum cellularum, secus unum marginem longam seriem efficientium, consideranti verisimile adparuit aliam iis esse functionem; nempe ut iis tumentibus expanderetur marginis pars his cellulis farcta, et ex hac expansione unius marginis, altero non insequente, necessarie sequeretur formam ipsius folii fieri apice curvatam (ab apice folii generantis recurvatam). In foliolo paulo adultiore marginem superiorem (h. e. qui apicem folii foliola generantis spectat) semper occupant cellulæ istæ tumentes. Hunc marginem *dorsalem* dicere liceat; alterum, priori oppositum, *ventralem*.

Ex foliolo infantili mox emergunt foliola nova, novam seriem constituentia; hæc sunt initio sub-cylindracea, fere diceres monosiphonea, endochromatibus brevissimis superpositis quasi articulata; foliola a cellulis costalibus, sæpius ad geniculum quoque secundum, singula emergunt, ordine adscendente a foliolo generante provenientia. Ut sensim in formam foliolorum supra descriptam complanatam abeant, paginæ novorum foliolorum (nec margines) advertuntur paginæ folii generantis; sensim vero, ut increscunt nova foliola, fiunt magis oblique flexa, ita ut in positionem fere verticalem abeant, uno margine (dorsali) supero, altero ventrali infero. Ita novæ series foliolorum quotquot sint, a folio generante quoque deorsum emergentes, verticaliter positæ evadunt.

Segmento facto transversali per costalem partem folii adultioris adparet ejusdem laminam constare parte quadam costali incrassata et marginibus tenuioribus. Cellulæ primariæ laminæ sub hoc stadio magis angulatæ, cellulis corticalibus præcipue interstitia obducentibus. Supra ipsam costam cellulæ corticales magis evolutæ. In ipsa costa siphones primarii interstitialibus cellulis cincti.

Ex iis, quæ supra attuli, sequitur unam paginam folii esse foliolis pullulantibus prægnantem, alteram nudam; quum posterius foliola in positionem oblique verticalem abeant, foliola deorsum tendentia latus ventrale folii generantis occupant; hinc foliola pullulantia a pagina inferiore folii generantis provenire patet. Quum autem deorsum tendentia prolongantur, usque dum costam inferioris folii suo apice tangunt, et adproximata cum hac coalescunt, hanc paginam inferioris folii esse superam æque consequitur. In Claudea foliola fere verticaliter exeuntia, facilius attingere folium, cum quo anastomosi nectantur, forsan assumere licet. In Vanvoorstia et Sonderia foliola, quæ directione magis obliqua

a folio generante exeunt, locum adhæsionis difficilius attingere non ægre quis quoque crederet. Ut hoc medeatur, in Sonderia apicem folii superioris incurvatum fieri suspicor; et itaque hunc in finem cellulas intumescentes superioris marginis obvenire. Modo paulisper diverso in eundem finem margines foliolorum in Claudea et Vanvoorstia recurvatos fieri, nec ægre assumerem.

Et habitu et ramificationis norma Sonderia magis ad Vanvoorstiam quam Claudeam versus tendere videretur. Structura vero foliolorum infantilium potius cum Claudea convenire putarem. Fructibus Sonderiæ adhuc ignotis, certius de Genere vix judicare liceat.



Explicatio Iconum.

Tab. I. 1. Stictosporum Nitophylloides.

Fig. a. Fragmentum frondis capsuliferæ, transversali facta sectione observatum. Cystocarpium in utraque pagina frondis fere æque prominens. Carpostomium ex una pagina apertum, constat cellulis longitudinaliter seriatis, canalem pervium ambientibus. Ex altera pagina, carpostomio opposita, cellulæ quædam placentares intra parietem pericarpii adsunt; ex media harum cellula nodi plures exeunt, intra gelatinam gemmidiis in fila longitudinalia plus minus ramosa cohærentibus constituti. Plexus circumnuclearis filorum sterilium, ab aliis cellulis placentaribus provenientium, ipsum nucleum cohibere videtur. Ita, in fructu nondum omnino maturo. Stratum frondis interius constat cellulis minutis et angustis, fere in fila, paginibus parallela, conjunctis.

Fig. b. Cellulæ frondis, quales a superficie visæ adpareant.

Fig. c. Gemmidia, ex fructu maturo.

Tab. I. 2. Pogonophora californica.

Fig. a. Pars frondis superioris, inferne inarticulatæ, superne fasciculis brevibus filorum articulatorum barbatæ. Superficies frondis inarticulatæ monstrat cellulas plurimas minutas, fere nullo adparente ordine dispositas, nonnullis quasi in venas conjunctis, ad fasciculos filorum excurrentibus.

Fig. b. Sectio transversalis frondis inarticulatæ.

Fig. c. Sectio longitudinalis cystocarpii subpedicellati. Intra pericarpium, fere unico strato cellularum subcubicarum contextum, nucleus compositus adest. Placenta paulisper oblique adscendens est inferne contexta cellulis subirregulariter anastomosantibus, quæ superne in fila longiora abeunt. Ex horum complexu interiore alia fila extrorsum tendunt, nucleolos separantia et ambientia, alia fiunt placentaria, articulis superioribus in series radiantes gemmidiorum abeuntibus. Carpostomium nullum mihi contigit videre.

Fig. d. Pars fasciculi, filis callithamnioideis constituti, cujus alii ramelli steriles manent, alii in stichidia siliquæformia mutantur.

Fig. e. Stichidium, quale magnitudine magis auctum, hoc vidi.

Tab. I. 3. Nematophora australis

Fig. a. Fragmentum frondis, sectione transversali observatum; in quo tum fila interiora, duplicis quasi generis (alia latiora, alia angustiora), ipsam frondem constituentia, transverse secta adpareant; tum fila ex hac fronde fasciculatim pullulantia, nunc densiora, nunc sparsiora, articulata et callithamnioidea, fere horizontaliter exeuntia observantur.

Fig. b. Fragmentum ejusdem frondis longitudinaliter sectæ, cum quibusdam parcioribus filorum exteriorum fasciculis. Fila interiora frondis, invicem anastomosibus juncta, alia latiora adpareant, alia angustiora; latiora, ut superficiei adproximantur, in cellulas magis horizontaliter porrectas desinunt; ab his demum pullulare videntur fila exteriora callithamnioidea.

Fig. c. Fragmentum frondis dissectæ, cujus partes ita distractæ fuerunt ut tum fila exteriora longitudinali directione (ad **), tum cellulæ frondis exteriores transversali directione (ad *); tum earundem una, longitudinali directione deflexa, in superiore parte dilatata deorsum abit in fila tenuiora, quasi radicularia (ad c.).

Fig. d. Pars fili exterioris sterilis magnitudine aucti.

Fig. e. Ejusmodi filum, quod in stichidium abire tendit; articulis penultimis transmutationem inchoantibus.

Fig. f. Ejusmodi fila sub stadio magis peractæ transmutationis; intra singulos articulos transmutatos cellulæ generantur initio basales singulæ, dein ex his (primæ generationis) extrorsum superpositæ geminæ, ita circa seriem centralem articulorum quasi ramellorum verticillos constituentes.

Fig. g. Aliud ejusmodi filum, longius peracta transmutatione inferioris fili, superiore parte non transmutata longiore, forsan demum tabescente.

Fig. h. Pars inferior stichidii maturescentis; series centralis articulorum adhuc persistens, parum mutata (nisi articulorum forma et dimensionibus); articuli filorum, qui verticillos periphericos antea constituerunt, in sphærosporas, ut mihi adparuit, invicem disjunctas abierunt. Sphærosporæ singulæ oblongæ et cruciatim divisæ.

Tab. I. 4. Holmesia Capensis.

Fragmentum phylli sphærosporiferi, quale hoc minutum et transmutatum, ex cæspitulis per paginas ipsius frondis sparsis desumptum, sectione transversali rite ducta compareat. Sphærosporæ quasi in loculis singulæ, in utraque pagina sorum rotundatum conficiunt.

Tab. II. 1. Tiarophora australis.

Fig. a. Pars frondis (magnitudine naturali) in inferiore parte fere cylindracea, in superiore compressa, obsoletius alterne constricta et dilatata, ramorum apice molliore, spongiolam conico-hemisphericam vertici superimpositam (ad *) formante; ad ** in parte ramorum inferiore intra superficiem nidulantes adpareant globuli obscuriores, nucleos cystocarpiorum mentientes.

Fig. b. Fila, qualia in fronde inferiore stratum frondis exterius constituunt.

Fig. c. Eadem, qualia a facie conspiciantur.

Fig. d. Pars fili interioris, qualia fila in strato interiore frondis obveniant; hæc fila ramos conformes sursum gerunt, deorsum fila radicularia hyphoidea emittunt.

Fig. e. Fila qualia spongiolam, in vertice ramorum terminalem, constituant; in inferiore et interiore spongiola (ad e et infra) fila strati interioris referunt; in superiore et exteriore spongiolæ parte fila sunt moniliformia, articulis longioribus prædita, dichotomo-fasciculata; in singulis fasciculis sphærosporæ plerumque singulæ adsunt, oblongæ et zonatim divisæ (ad *).

Fig. f. Unum e corpusculis, infra spongiolam observatis, quæ transmutatione quadam, quasi abnormi, sphærosporarum evoluta conjicio.

Fig. g. Unum e globulis (ad ** in fig. a observatis) nucleum cystocarpiorum mentientibus, quale nudum et magnitudine auctum vidi; dubitavi an hi globuli transmutatione corpusculorum, quæ sub f depinxi, demum orirent.

Tab. II. 2. Alsidium comosum.

Fig. a. Fragmentum frondis denudatæ, a parte rami ramulique constans; in axilla ramuli conspiciantur ramelli articulati, antheridia siliquæformia ad apices gerentes.

Fig. b. Ramuli infantilis pars, conspicue articulata et polysiphonea, cujus ad articulos fila singula comæ terminalis pullulare incipiunt: infra apicem conspiciatur ramelli novi initium; infimi articuli pilorum breves, et fere moniliformiter contracti.

Tab. II. 3. Lophothalia lanuginosa.

(Species Subgeneris *Lophocladiæ*.)

Fig. a. Fragmentum frondis, sectione transversali observatum, ex quo tum structura interior rami, tum filorum articulatorum, quæ sub juniore stadio totam frondem investiunt, pauca, hoc loco adhuc persistentia. Ex his unum sterile, alia in stichidia parum verrucoso-torulosa mutata.

Fig. b. Ejusmodi stichidium, magnitudine magis auctum, a filo monosiphoneo transformatum, in singulis articulis sphærosporam nunc unicam, nunc paucas generans. In intima parte una aut altera sphærospora forsan jam emissa.

Tab. II. 4. Lophothalia trichoclados.

(Species Subgeneris *Lophocladiæ*.)

Fig. a. Fragmentum rami polysiphonei, a quo filum monosiphoneum exit, cujus pars superior in stichidium transmutata fuerit.

Fig. b. Aliud ejusmodi stichidium; ipsum stichidium juvenile polysiphoneum adparet; plures vero cellulæ articuli cassæ evadunt, singulis foecundis sphærosporam eximie prominulam generantibus. Quia vero sphærosporæ in diversis articulis aliorsum prominent, ipsum stichidium sæpe eximie distorto-torulosum adpareat.

Tab. III. 1. **Dasya Muelleri.**

(Species Subgeneris *Stichocarpi.*)

Stichidium a ramulo polysiphoneo transformatum. et pedicello polysiphoneo suffultum. In parte suprema (adhuc juniore) articuli polysiphonei unico verticillo cellularum constituti adparent. In parte inferiore (adultiore) alterni articuli steriles manent, alternis sphærosporas verticillatas generantibus.

Tab. III. 2. **Dasya hapalathrix.**

(Species Subgeneris *Rhodonematis.*)

Fig. a. Stichidium a ramulo monosiphoneo transformatum et pedicello monosiphoneo suffultum. In parte suprema (adhuc juniore) articuli polysiphonei duobus verticillis cellularum (superpositis) constituti adparent. Ex parte media stichidii adparet cellulas superioris verticilli prægnantes fieri sphærosporis sensim evolutis; cellulas vero inferioris verticilli cassas et grandescentibus magis magisque sphærosporis demum evadere magnopere oppressas.

Fig. b. Pars media (junioris) stichidii; et

Fig. c. pars paulo adultioris stichidii, magnitudine aucta.

Tab. III. 3. **Dasya Mereditiæ.**

(Species Subgeneris *Rhodonematis.*)

Stichidium ita depictum ut structura interior ejusdem compareat. Siphones articulorum centrales persistunt poris conjuncti; cellulæ verticilli inferioris, quasi bracteantes, vario modo quoad formam mutatæ: interiores ejusdem prolongatæ sustinent plures corticales. Inter ejusmodi cellulas steriles (duorum articulorum) sphærosporæ nidulantur, adparenter nudæ. Ad * cellulæ corticales a facie visæ.

Tab. III. 4. **Dasya atactica.**

(Species Subgeneris *Dasyopsidis*).

Fig. a. Stichidium a ramulo monosiphoneo transformatum, et pedicello monosiphoneo suffultum; attamen non modo Rhodonematis a ramulo indiviso (exteriore et quasi appendiculari), sed a ramulo ramoso (rachidem constituente aliis ramulis simplicibus). Hinc stichidium non tantum ramellis inferioribus tabescentibus obsitum, sed etiam superne ramos generans, qui sensim in stichidia nova excrescere videntur. Singuli articuli stichidii junioris duobus verticillis cellularum (superpositis) constituti adparent. Cellulæ superioris verticilli prægnantes fiunt sphærosporis; inferioris verticilli manent cassæ et grandescentibus magis magisque sphærosporis evadunt oppressæ.

Fig. b. Pars stichidii, qualis adultior a facie adpareat, verticillis sphærosporarum et cellularum sterilium alternantibus constituta.

Tab. III. 5. Dasya Dictyuroides.

(Species Subgeneris *Eupogodontis*).

Fig. a. Fragmentum stichidii, quale transversali sectione contextum observare credidi. Circa siphonem centralem pericentrales 4 (nunc 5? videre credidi) adpareant, sphaerosporis prægnantes (a cellulis superioris verticilli) transmutati; cellulæ inferioris verticilli, quæ steriles manent, ita sunt dispositæ, ut verticaliter cum fertilibus fiant alternantes. Omnes obteguntur cellulis strati corticalis.

Fig. b. Fragmentum stichidii, quale sectione longitudinali contextum observavi. (Articuli omnes fertiles et modo Rhodonematis duobus verticillis cellularum formati; at stichidia a ramulo polysiphoneo transformata, et pedicello polysiphoneo suffulta; caeterum corticata ita ut effoeta cellulis subcontiguis obtecta adpareant.

Tab. III. 6. Dasya Wilsonis.

(Species Subgeneris *Pachydasyæ*).


Fig. a. Pars superior fili, qualia (fila) numerosissima ramos ramulosque frondis obtegunt. Stichidium ab apice fili monosiphonei transformatum adest, verticillis sphærosporarum et cellularum sterilium alternantibus constitutum.

Fig. b et c. Stichidia admodum juvenilia monstrant articulos unico verticillo cellularum contextos (modo Stichocarpi).

Fig. d. Stichidia paulo magis ætate provecta habent articulos alternos steriles, alternos sphærosporis prægnantes.

Fig. e. Stichidium ejectis sphærosporis effoetum, cingitur verticillis cellularum confluentibus. (Comparata structura stichidii et formationis modo sphærosporarum stichidium Pachydasyæ potissimum Stichocarpos referre diceres; at a ramulo monosiphoneo transformatum, unde et pedicello monosiphoneo suffultum permaneat).






Stictosporum Nitophylloides Fig.1. Pogonophora californica Fig.2. Nematophora australis Fig.3
Holmesia Capensis Fig.4





Tiarophora australis Fig 1. Alsidium comosum Fig.2. Lophocladia trichoclados Fig. 4
Lophocladia lanuginosa Fig.3





Stichocarpus Muelleri Fig.1. Rhodonema hapalathrix Fig 2. Rhod. Mereditheae Fig 3.
Dasyopsis alactica Fig. 4. Eupogodon Dictyurioides Fig.5. Pachydasya Wilsonis Fig.6.



Kongl. Fysiografiska Sällskapets sammanträden 1889—90.

1889, d. 9 Oktober:

Herr Lundgren om Faunan i Sveriges yngre krita.

Herr Hj. Nathorst om tuberkulosens förekomst hos våra husdjur.

1889, d. 13 November:

Herr Engström om en af honom utförd bestämning af Lunds Observatorii polhöjd.

Herr Jönsson iakttagelser öfver endochromets utbredning hos hafsalgerna.

Herr Qvennerstedt förevisade en *Sterna anglica*, skjuten vid Ringsjön, och redogjorde för dess utbredning.

1889, d. 11 December:

Herr Areschoug om Leguminosernas rotknölar enligt de senaste undersökningarne af Prof. Frank.

Herr Agardh om några i systematiskt hänseende ofullständigt kända alger.

Herr Blix om foglarnes kretsning eller segling.

1890, den 12 Februari:

Herr Holmgren förevisade den nya fysiska institutionslokalen.

Herr Rydberg förevisade ett gitterspektroskop af Rowlands konstruktion.

1890, d. 12 Mars:

Herr Rydberg redogjorde för sättet att med konkavgitterspektroskop mäta våglängder.

Herr Löwegren, om behandlingen af perifera irisprolapser.

Herr Areschoug om några norska Rubusformer och deras härstamning från andra skandinaviska former.

Herr v. Zeipel om några algebraiska expressioner hvilkas sammanfattning bildar allmänna formeln för primtal.

1890, d. 9 April:

Herr Bergendal om Trikladernas anatomi och *Uteriporus Levaui* n. g. n. sp.

Herr Lundgren om några egendomliga lösa block från Skåne.

1890, d. 14 Maj:

Herr Qvennerstedt om de nyare undersökningarne öfver ljusreaktionerna hos djuren.

Herr Blomstrand om den elektrokemiska motsatsen såsom vilkor för kemiska reaktioner.

Herr Törnqvist om Graptolitformer från Siljanstrakten.

LUNDS UNIVERSITETS

ÅRSBERÄTTELSE

1889—90.

AF

UNIVERSITETETS REKTOR.



LUND, 1890.
BERLINGSKA BOKTRYCKERI- OCH STILGJUTERI-AKTIEBOLAGET.



Under det akademiska år, för hvilket här lemnas en redogörelse, har Lunds Universitet kunnat ostördt och, såsom vi hoppas, med framgång fortsätta sin verksamhet i den vetenskapliga forskningens och den fosterländska bildningens tjenst.

Den 15—17 sistlidne Oktober hade Universitetet glädjen att emottaga besök af sin högt vördade Kansler, f. d. Stats-Rådet m. m. Herr P. J. von Ehrenheim, som under dessa dagar behagade lemna tillfälle till Universitetets medlemmar att personligen till Herr Kanslern frambära sina önskningar i afseende på förhållanden, som röra Universitetet och den akademiska undervisningen.

Ett stort antal af lärare och tjenstemän vid Lunds Universitet aflade den 17 dennes ett gästbesök i Köpenhamn, efter inbjudning af det danska Universitetets lärare. Dessa sammankomster, från hvilka alla deltagare hemföra angenäma minnen, äro af stor betydelse såsom utgörande ett föreningsband mellan danske och svenske vetenskapsidkare och förtjena derför att såsom en glädjande företeelse omtalas i Universitetets annaler.

Under året hafva följande akademiske lärare aflidit:

f. d. Adjunkten i österländska språk, D:r Magnus Fredrik Brag, död den 23 Augusti 1889;

Docenten i grekiska språket D:r August Heimer, död den 2 September 1889;

Professoren i romersk vältalighet och poesi, R. N. O., D:r ALBERT THEODOR LYSANDER, död den 25 April 1890.

Bland den studerande ungdomen hafva aflidit:

ERIK REMIGIUS BRAUNE, bl., död den 17 September 1889.

PER FREDRIK WIRSEEN, sm., död den 1 December 1889.

Dessutom hafva följande förändringar i Universitetets lärare- och tjenstemanna-personal inträffat:

Docenten vid Upsala Universitet KARL GUSTAF FRITHIOF LENNMALM utnämndes den 21 Juni 1889 till e. o. professor i pediatrik och praktisk medicin

Docenten PONTUS ERLAND FAHLBECK utnämndes den 28 Juni 1889 till e. o. professor i historia och statskunskap.

Stadsfogden i Lund, vice Häradshöfdingen ROBERT VILHELM ALEXANDER MAGNUS EKLUNDH utnämndes den 10 September 1889 till räntmästare.

Till kapellmästare vid Universitetet och organist vid Lunds domkyrka utnämndes den 19 September 1889 Organisten vid S:t Jakobs församling i Stockholm, Musikdirektören GEORG WILHELM HEINTZE.

Sedan Riksdagen sistlidet år beviljat anslag för aflönande af lärare i tyska, franska och engelska språken, så hafva till universitets-lektorer för en tid af två år förordnats: D:r EDWARD THEODOR WALTER i tyska språket den 27 Januari 1890, DAVID LLOYD MORGAN, Bachelor of arts, i engelska språket den 20 Februari 1890 samt LOUIS FERNAND NOUGARET i franska språket den 27 samma månad.

Docenterna ANDERS ROSÉN och NILS HJALMAR NILSSON erhöllo på ansökan afsked från sina docentbefattningar den förre den 20 September 1889 och den senare den 2 Oktober 1889.

Docenten CARL AUGUST RUDELIUS erhöll på begäran afsked från sin befattning den 10 Januari 1890.

Docenten JULIUS BERNHARD HAIJ utnämndes den 27 November 1889 till lektor vid Wexiö högre allmänna läroverk.

Docenten CHRISTIAN CARL FREDRIK EICHSTÄDT utnämndes den 13 Februari 1890 till lärare vid Chalmers tekniska läroanstalt i Göteborg.

Docenten NILS AXEL VINGE utnämndes den 7 innevarande Maj till adjunkt vid nya elementarskolan i Stockholm.

Docenten Johan August Gylling utnämndes den 14 innevarande Maj till lektor vid Visby högre allmänna läroverk.

Till docenter hafva förordnats: Kand. Herman Antell i straffrätt den 25 Juni 1889, D:r Johan Gustaf Christofer Cederschiöld i nordiska språk den 21 Oktober 1889, D:r Axel Richard Warholm i kirurgi den 10 Januari 1890, Kand. Gabriel Thulin i finansrätt, ekonomilagfarenhet och svensk rättshistoria den 8 April 1890 samt utnämnde Kyrkoherden i Stora Råby och Bjellerup, Kand. Fridolf Nathanael Ekdahl i praktisk teologi den 21 Oktober 1889, dock endast till dess han sin kyrkoherdebefattning tillträdt, hvilket inträffade med denna månads ingång.

Till amanuenser hafva efter utgifvande af senaste årsberättelse förordnats: vid geologiska institutionen Kand. Anders Henning Hennig den 28 Maj 1889; vid medicinska kliniken Kand. Magnus Matell den 2 Oktober och Kand. Carl Albert Lindman den 8 November 1889; vid patologiskt anatomiska institutionen Kand. Johan Kristoffer Cronqvist den 12 December 1889; vid histologiska institutionen Kand. Olof Lundblad den 3 Januari 1890; vid kirurgiska och obstetriska kliniken Kand. Otto von Essen den 10 Januari 1890.

Till e. o. amanuenser hafva antagits: vid räntekammaren och kansliet Docenten Gustaf Angelo Broomé den 27 September 1889, samt vid zoologiska institutionen Kand. Simon Fredrik Bengtsson den 12 December 1889.

Universitetets lärarepersonal utgöres för närvarande af 27 professorer, 15 e. o. professorer, 2 adjunkter, en laborator, 38 docenter, 3 lektorer och 3 exercitiemästare. Lediga äro professorsembetena i estetik, literatur- och konsthistoria samt i romersk vältalighet och poesi, e. o. professorsembetet i statsrätt, allmän administrativrätt, folkrätt och sjörätt samt astronomie-observatorstjensten.

De vid fakulteter och sektioner fästa docentstipendier innehafvas: teologiska fakultetens af Docenten F. A. Johansson, juridiska fakultetens af Docenten J. Hjelmérus, humanistiska sektionens N:o 1 af Docenten A. E. Peterson, N:o 2 af Docenten E. H. G. Wrangel, N:o 3 af Docenten J. Thyrén och N:o 4 af Docenten S. Linde, samt matematiskt-naturvetenskapliga sektionens N:o 1 af Docenten J. R. Rydberg och N:o 2 af Docenten B. Jönsson; medicinska fakultetens docentstipendium är ännu icke tillsatt.

De rörliga docentstipendierna innehafvas: N:o 1 af Docenten O. N. T. Ahnfelt, N:o 2 af Docenten S. J. Cavallin, N:o 3 af Docenten A. O. Lindfors, N:o 4 af Docenten F. A. Engström och N:o 5 af Docenten D. Bergendal.

Riksstatens resestipendier för innevarande år innehafvas det större af Docenten S. G. Hedin och det mindre af Docenten F. Eichstädt.

Tjenstledighet har under hela läsåret åtnjutits af Professoren E. H. W. Tegnér för deltagande i bibelkommissionens arbeten (Kongl. bref den 9 Augusti 1889), af Docenten N. A. Vinge för uppehållande af en lektorsbefattning vid Sundsvalls högre allmänna läroverk (Kanslersbref den 12 September 1889), samt af Docenten P. G. Laurin under höstterminen för afslutande af en studieresa (Kanslersbref den 12 September 1889) och under vårterminen för uppehållandet af en lektorsbefattning vid Christianstads högre allmänna läroverk (Kanslersbref den 27 Januari 1890).

Professoren C. Warholm har varit tjenstledig under hela höstterminen (Kanslersbref den 2 September 1889) samt under Februari månad 1890 (Prok.-bref den 9 Januari 1890). Dessutom har Professoren Warholm alltsedan den 27 sistlidne Mars af sjuklighet varit hindrad fullgöra sina embetsåligganden.

Docenten F. Eichstädt har för uppehållandet af en lärareplats vid Chalmers tekniska läroverk i Göteborg varit tjenstledig dels hela höstterminen, dels från den 12 Mars 1890 till vårterminens slut (Kanslersbref den 12 September 1889 och den 12 Mars 1890).

Docenten C. P. Rudelius var under höstterminen 1889 fortfarande tjenstledig på grund af ett uppdrag vid Åtvidabergs kopparverk (Kanslersbref den 28 Januari 1889).

Professoren C. Olbers har varit tjenstledig under tiden från den 16 Januari till den 24 Februari 1890 på grund af sjukdom (Prok. bref den 15 Januari och Kanslersbref den 10 Februari 1890).

E. o. Professoren K. G. F. Lennmalm var tjenstledig från det han till sitt embete utnämndes till den 8 September 1889 (Kanslersbref den 31 Juli 1889).

Professoren A. Th. Lysander åtnjöt på grund af sjukdom tjenstledighet från den 10 April 1890 (Kanslersbref den 8 April 1890).

Utnämnde Lektorerna E. T. Walter och L. G. Nougaret ha varit tjenstlediga från utnämningsdagen, den förre till den 20 Mars 1890 (Kanslersbref den 27 Februari 1890) och den senare till vårterminens slut (Kanslersbref den 27 Mars 1890).

Bibliotekarien E. TEGNÉR har erhållit tjenstledighet under 9 månader från den 15 Oktober 1889 (Kanslersbref den 2 Oktober 1889 och Kongl. bref den 10 April 1890).

Andre Biblioteksamanuensen C. AF PETERSENS var för utrikes vetenskaplig resa tjenstledig under Augusti månad 1889 (Kanslersbref den 31 Juli 1889).

Dessutom har tjenstledighet för kortare tider beviljats dels af Universitetets Prokansler, dels af Rektor.

Såsom censorer vid afgångsexamina från läroverken ha från Universitetet varit frånvarande under båda terminernas senare examensperioder Professorerna A. MÖLLER och K. A. HOLMGREN samt e. o. Professoren A. M. ALEXANDERSON och under vårterminens jemväl Professorerna C. F. E. BJÖRLING och V. E. LIDFORSS, e. o. Professoren P. G. EKLUND samt Adjunkten E. V. VON ZEIPEL.

De vikariat, som på grund af ofvannämnda förhållanden eller eljest påkallats, hafva varit på följande sätt fördelade.

Enligt förut meddelade förordnanden hafva under hela läsåret fortfarande Docenten E. H. G. WRANGEL uppehållit professorsembetet i estetik, literatur- och konsthistoria samt Docenten F. A. ENGSTRÖM astronomie-observatorstjensten.

Docenten N. O. M. FLENSBURG har hela läsåret uppehållit professorsembetet i österländska språk (Kanslersbref den 28 Augusti 1889).

Under den tid, Professoren WARHOLM varit tjenstledig eller urståndsatt att fullgöra sina embetsåligganden, har e. o. Professoren P. G. EKLUND uppehållit professorsembetet i dogmatik och moralteologi samt Docenten O. N. T. AHNFELT e. o. professorsembetet i moralteologi och symbolik (Kanslersbref den 2 September 1889 samt den 27 Januari och den 9 April 1890).

Under Professoren OLBERS' ofvannämnda tjenstledighet har Docenten O. HOLMSTRÖM uppehållit professorsembetet i kyrkohistoria (Kanslersbref den 27 Januari och den 10 Februari 1890).

Docenten C. M. ZANDER har under Professoren LYSANDERS tjenstledighet och efter dennes död uppehållit professorsembetet i romersk vältalighet och poesi (Kanslersbref den 8 April och den 5 Maj 1890).

Under Bibliotekarien TEGNÉRS tjenstledighet har hans embete förestätts af vice Bibliotekarien A. T. PALM, dennes tjenst af Förste Biblioteksamanuensen, vice Bibliotekarien F. BRAUNE, dennes befattning åter af Andre Biblioteksamanuensen C. AF PETERSENS, samt dennes tjenst af e. o. Biblioteksamanuensen P. SJÖBECK (Kanslersbref den 2 Oktober 1889 och den 8 April 1890).

Under Andre Biblioteksamanuensen af Petersens' tjenstledighet har hans befattning uppehållits af e. o. Biblioteksamanuensen P. Sjöbeck (Kanslersbref den 31 Juli 1889).

